


SYMBOLÆ

AD FIDEM ET STUDIA TYRANNII RUFINI PRESBYTERI AQVILEIENSIS ILLUSTRANDA,

E SCRIPTIS IPSIUS PETITÆ,

QVAS PRO GRADU LICENTIATI THEOLOGIÆ RITE IMPETRANDO,

RESPONDENTE

M. EYRIKSEN,

ORNATISSIMO S. S. MINISTERII CANDIDATO,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIET

PÈTUR PÈTURSSON,

PRÆPOSITUS TOPARCHIÆ SNÆFELLSNESENSIS ET HNAPPADALENSIS,

PASTOR ECCLESIÆ STADASTADENSIS

DIE XI MAII H. L. Q. S.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT *FABRITIUS DE TENGNAGEL.*

MDCCCXL.

Dissertationem hanc inauguralem dignam censet ordo Theologorum, quæ pro gradu Licentiati Theologiæ rite impetrando publicæ disquisitioni subjiciatur.

Havniæ d. XXVIII April. MDCCCXL.

Dr. ***H. N. Clausen,***
h. a. Ord. Theol. Havn. Decan.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

INTRODUCTIO.

§ 1.

Omnes, qvi ad examinandas res divinitus revelatas pio desiderio ducti feruntur, valde juvabit, non solum religionis nostræ fontes adire, e quibus solatium hauriant vitæqve dirigendæ normam sufficientem eliciant, verum in id etiam diligentius inqvirere, qvomodo fontes in rivos dispersi vitam ecclesiæ christianam provocaverint ideæqve christianæ in ingeniorum diversitate diverso modo sese enucleaverint. At in fatis religionis christianæ lustrandis, in censum præsipue veniunt antiqui ecclesiæ doctores, qvi patrum nomine salutantur qvorumque auctoritas & scripta ad hanc vel illam religionis formam constituendam plurimum valuerunt. His enim ignoratis, nisi historiæ ecclesiasticæ face singulas ætates lustremus, periculum est, ne in doctrinis biblicis et ecclesiasticis dignoscendis vacillemus, et aut utramqve doctrinam confundamus, aut unam ab altera nimis divellamus. Namqve, ut biblicæ doctrinæ, qvæ omni temporum injuriæ adeo restiterunt, ut indolem genuinam hucusqve servaverint, pro ideis, beneficio divino

revelatis, habendæ sunt, qvæ cum desiderio religioso apprime conspirantes, variis licet involucris indutæ, ad pectus tamen humanum viam sibi semper muniunt animumque vi spirituali commovent; sic etiam constat, alias doctrinas rationibus historicis efformatas esse, e qvibus indoles biblica vix ac ne vix qvidem agnosci queat. Qvi igitur, relicto historiæ ecclesiasticæ campo, auctoritati ecclesiæ ducendum se committit, nec ad diversa, quæ religio christiana subiit, fata respicit, in devia feratur necesse est; e varia enim doctrinarum mole efformatam fidem comprehendit, comprehensam anxie tenet, pro biblica venditat, qvæ si aliqvo tandem modo corruerit, nil habet, qvo amplius erigatur. Historia vero ecclesiastica, ut utilitatis plurimum habet, ita qvoqve est ad agnitionem pulcherrima et ad excitandas vires humanas efficacissima; tot enim nobis intuendos præbet egregios viros ad coelum totâ mente ac viribus tendentes integramque vitam veritati examinandæ et rebus divinis scrutandis consecrantes, qvorum conatus considerantes nos in admirationem sui et imitationem qvasi sublimes rapiunt; — sed multorum qvo que exempla nobis ob oculos sistit evitanda, qui ab internâ doctrinæ indole aberrantes de externis ejus formis muniendis et auctoritate ecclesiæ stabiliendâ unice solliciti, in aliter his de rebus sentientes qvocunqve modo haud raro sævierunt, coloribusqve nigerrimis depictorum memoriam posteritati tradiderunt. Ii qvippe non semper optimè de ecclesiâ meriti sunt, qvi pro præsenti ejus statu acerrimè pugnârunt, sed multo magis, qvi illum ad biblicam idealemqve indolem revocare ac humaniorem res divinas considerandi modum promovere conati sunt. Cum

igitur notitia patrum ecclesiasticorum theologiæ haud parum lucis affundat, operæ pretium esse putaverim in singulorum vitas et scripta diligenter inspicere, nec eos omnino negligendos, aut prætermittendos esse, qvi ad inferiorem ordinem pertinere credantur, siqvidem haud raro idem in his ac in ceteris veritatis examinandæ studium, idem doctrinæ amor, eadem humanitas, nec interdum nisi solâ doctrinæ laude, aut nomine orthodoxiæ ecclesiasticæ inter se differunt. His rationibus adductus, Tyrannii Rufini presbyteri Aqvileiensis, amicitiâ odioqve Hieronymi æqve noti, opera perlegere coepi, et inter legendum, qvæ memoriâ maximè digna mihi videbantur, schedulæ commisi, e qvibus in ordinem redactis et cum scriptis aliorum patrum ecclesiasticorum, imprimis Origenis, Hieronymi atqve Augustini collatis, dissertatio hæcce qvaliscunqve constat. Sed in argumento proposito ita versatus sum, ut ea potissimum tractaverim, qvæ studia Rufini theologica relationemque ejus ad sui ævi theologiam maxime illustrare viderentur, nec alia fere vitæ illius momenta tetigerim, qvam educationem, studia, perigrinationes ac vitam monasticam, ut qvæ eruditionis præsidia cum instituto meo cohærerent. Cetera, qvæ ad itinera illius et chronologiam rerum gestarum definiendam pertinerent, prætereunda putavi; præsertim cum Vallarsius, cujus editionem operum Rufini, Veronæ 1745 in fol., seqvutus sum, historica vitæ Rufini momenta, libris duobus comprehensa, in unam qvasi massam, crisi adhibitâ congesserit.

Sectio Prima.

De præcipuis vitæ Rufini momentis cum occupationibus ejus litterariis cohærentibus.

§ 2—4.

§ 5.

Natus est Tyrannius Rufinus Concordiæ, quod erat oppidum Italiæ[1]; qvo vero anno natus sit memoriæ nusquam proditum reperitur; non tamen diu post concilium Nicænum anno 325 habitum, in lucem editum esse, e scriptis Hieronymi probari posse videtur[2]); nec qvo anno

---

1) Rufinum Aqvileiæ natum esse, multi perperam asserurere; patriam enim eum non habuisse Aqvileiam disertè docet Hieronymus Apolog. 2 Lib. 1. contra Rufin. num. 2. idcirco, inqviens, patriâ derelictâ Aqvileiæ habitat; et in Apol. 2 in oppidulo natum esse dicit. ipsum Concordiæ natum e collatis inter se duobus Hieronymi locis patet. Exstat qvippe Hieronymi epistola ad Paulum Concordiæ senem, qvæ senem illum Paulum patriâ Concordiensem evincit; cujus rursus mentionem facit in epistola 5 ad Florentium Monachum Aqvileiensem, Hierosolymis tunc morantem, sibi scripsisse dicens, qveudam à patriâ supradicti fratris Rufini Paulum senem. itaqve eadem videtur senis illius et Rufini patria fuisse, nempe Concordia, qvod oppidum deinde Attila rex Hunorum solo æqvâsse dicitur cfr. Vallars. de vitâ Ruf. p. 3 et sqq.

2) cfr. Hieron. Apol. 2 (qvam circa annum 400 scriptam esse Rufini Apolog. Lib. 1. num 36 ostendit), ubi Rufi-

mortuus sit, dubiis omnibus exemtum est, etsi pleriqve in annum 410 obitum ejus referant. De parentibus primâque Rufini infantiâ nil fere constat; sed mox ut adolevit, ex oppido Concordiæ, cum ab urbe Aqvileiâ, totius tunc Venetiæ primariâ civitate, haud procul distaret, Aqvileiam se contulit, monasticæ vivendi regulæ nomen daturus, ibiqve in monasterio patrum doctrinâ pietateqve imbutus, â Valeriano urbis episcopo sacro lavacro ablutus est circa annum 370[3]); annoqve inseqvente, monachorum orientalium famâ commotus, de itinere Hierosolymas suscipiendo cogitavit et unacum Melaniâ, romanarum mulierum nobilissimâ, in orientem trajecit. Nec tamen recta Hierosolymas petiit, sed prius in Ægyptum profectus, ineunte anno 372 Alexandriam adplicuit, adhuc superstite Athanasio urbis episcopo, qvo eodem anno defuncto, persecutionibus, partim sub Tatiano, partim sub Palladio, qvi illi in præfecturâ Ægypti subinde successit, in catholicos ortis interfuit[4]),

---

num vocat senem et canum et in initio Libr. 3. appellat eum vetustissimum monachorum, qvod de eo, nisi tunc certè sexagenarius fuisset, dicere non potuisset. Hinc patet, qvam vero absimilis sit sententia Blondelli de Primatu pag 881 Rufini ortum illigantis anno 345, qvi fuit â concilio Nicæno visesimus; verum 325 nondum natum Rufinum testatur Natalis Alexander sect. 4 dissert 13. conclus. 2.; e qvibus colligitur Rufinum intra ann. 325 et 345 natum esse; accuratius vero constitui neqvit.

3) cfr. Apol. Lib. 1. num. 4.

4) Rufini hist. eccles. Lib. 2. cap. 4. Apolog ad Anastas. num. 2.

variasqve regiones peragrare coactus, contra Arii dogmata, non solum carceribus, ut ipse testatur, sed exiliis qvoqve dimicavit [5]; qvi motus ubi defcrbuere, ad literas colendas illustresqve viros audiendos Alexandriam rediit compluresqve præclaros doctores habuit [6].

§ 3.

Sexennio in scholis Ægyptiorum transacto, Rufinus, ut se totum vitæ monasticæ consecraret, anno, ut videtur, 378 [7] Hierosolymas tandem venit, ubi in monte Oliveti cellulas inhabitavit, qvas, licet suas, non â se solo, verum etiam ab aliis monachis assiduo freqventatas ipse affirmat [8]. Neqve ideo tamen Hierosolymis ita substitit, qvin ad invisendos aliarum etiam regionum eximios viros excurreret; nam Edessæ et Carrarum provinciæ Oshrenæ in Mesopo-

---

5) loco praximè citato.

6) Apol. Lib. 2. num 12. enumerat: Didymum, Serapion, Menitem, qvos dicit naturâ, moribus ac eruditione germanos; prætera complures eremi magistros, ut: Macarium Antonii discipulum alterumqve Macarium et Isidorum et Pambam, qvos omnes freqventius attentiusqve audiebat.

7) Vallars. De vitâ Rufini Lib. 1. cap 2. num. 7. statuit Rufinum anno 377 Hierosolymas venisse; qvod cum adventu ejus in Ægyptum anno 372 et sex annis ibi transactis conciliari neqvit; itaqve in annum seqventem adventus ejus in urbem sanctam trahendus est.

8) Apolog. Lib. 2. num. 8.

tamiâ urbes hunc in finem lustravit; qva occasione Alexandriam iterum profectus esse videtur[9]; at mox Hierosolymas reversus, complures ibi annos in litteris colendis, vita monasticâ exercendâ ac in omnis generis hominibus pio illuc desiderio ductis liberaliter excipiendis transegit[10]) et cum viris illustrissimis familiaritatem iniit[11]).

§ 4.

Sed inter amicos Rufini primum locum tenet Hieronymus (Stridonensis); nam inde ab adolescentiâ inter eos intima amicitia coaluerat, mutuâ studiorum societate aucta[12]); in eodem qvippe, qvo Rufinus, monasterio Aqvileiensi Hieronymus aliqvantisper commoratus fuerat, donec improviso rerum eventu illinc in Orientem discedere cogeretur[13]). Nec tamen longinqvitate tam arctum inter eos

9) l. c. num. 12.

10) Pallad. cap. 128.

11) Inter summos viros, qvibus Rufinus Hierosolymis familiariter usus est, imprimis eminet Bacurius rex Iberiæ, vir scriptorum antiqvorum testimonio celeberrimus cfr. Zosim. hist. eccles. lib. 4 sub finem et Socrat. lib. 7. cap. 10.

12) cfr. Hieron. epist. 3.

13) Tempus, qvo Hieronymus Aqvileiæ commoratus sit, accuratè omnino definiri non potest. Engelstoft in Dissertatione suâ de Hieronymo § 3 dicit eum circa annum 372 tempus aliqvod Aqvileiæ transegisse; sed eum ante hunc annum ibi fuisse, inde apparet, qvod priore anno Rufinus ad iter Hierosolymas suscipiendum se accinxerat, et tune Hieronymus Aqvileiam jamdudum reliqverat; nam subito turbine qvodam, ut ait, abreptus in orientem dis-

amoris vinculum dissui posse videbatur, cum Hieronymus, mox ut itineris Rufini in orientem suscipiendi nuncium à Paulo Concordiensi accepit, Hierosolymas ad Florentium Aqvileiensem literas Rufino reddendas, nunc vero deperditas, misit [14]) et in Ægypto degenti plures deinde epistolas eundam animorum concentum spirantes scripsit. Similiter Rufinus, qvando Hierosolymas pervenit, veterem cum amico familiaritatem renovavit; qvæ inter utrumqve arcta necessitudo, virtutibus studiisqve innutrita, eo usqve crevit, ut Augustino teste, tam caras familiaresqve personas cunctis pene ecclesiis notissimo amicitiæ vinculo copulatas, christiani omnes admirarentur [15]). — Tanto magis dolendum est, hanc inter eos amicitiam in odium postea vehementissimum abiisse, ita ut unus alterum conviciis perseqvi non dubitarent; cujus rei causa ut luculentius appareat, cum ad dogmatica et polemica deinceps Rufini scripta commemoranda aditum nobis muniat, res theologicas spectandi modus altius repetendus et cum ingenio illius ævi conferendus est.

---

cesserat, (Hieron. epist. 3) indeqve Rufino Hierosolymas venturo epistolam scripsit.

14) cfr. Hieron. epist. 4. ubi Rufinum ait individuà germanitatis caritate sibi connexum, et subinde dicit: noli nos ejus (o: Rufini) æstimare virtutibus, in illo conspicies expressa sanctitatis vestigia.

15) August. Epist. ad Hieron. 73. c. 3.

Sectio Secunda.

De Origene, libris ejus *Περὶ Ἀρχῶν* eorumqve Rufini versione latinâ.

§ 5—12.

§ 5.

Medio fere seculo secundo, schola, ut satis notum est, Alexandriæ christianis catechetis et chatechumenis ulterius efformandis ad exemplum scholarum philosophicarum, qvæ in Græcia floruerant, condita est; qvæ enim apologetæ, cum telis hæreticorum undiqve adorti intelligere cæpissent opus esse armis scientificis ad propugnandam religionis christianæ veritatem, qvasi inviti addiscerant, hæc schola amore litterarum scientiarumqve ducta in se recepta consummavit, philosophiam, imprimis platonicam, in religionem christianam applicando, et cum involucra historica cum notionibus universalioribus conciliare studeret, liberaliorem idearum christianarum enucleationem peperit. Hinc prodiit Origenes, maximum ætatis suæ decus, qvi scholæ catecheticæ antistes, discipulos per vastissimum græcarum litterarum campum ad spiritualem rerum divinarum intelligentiam speculativamqve religionis christianæ considerationem perducere studuit. Ita discipulorum multitudine, qvos efformabat, pariter ac scriptis suis, qvæ eandem animi libertatem spirant studiumqve ideas christianas ad unitatem philosophicam redigendi, non in coævos solos, verum qvoqve in posteros et secula subseqventia haud mediocrem vim exeruit; qvæ, dum nec ecclesia, nec dogmata christiana immotam externamqve

formam nacta essent, se liberius movere potuit. Initio qvippe religio christiana, ut interna sensus ac voluntatis harmonia, pectus humanum occupaverat, at superatis seculo qvarto curis externis, cum persecutionibus a civitate non amplius obnoxia esset, tranqvillitate meditandiqve spatio oblatis, tota fere ecclesiæ potestas ad dogmata christiana accuratius efformanda et stabilienda sese convertit, metuens, ne, qvæ tanto labore acqvisita essent, nisi certo et perpetuo habitu armarentur, e manibus suis fortasse exciderent; qvo factum est, ut fundatus jam externus ecclesiæ status, divergentes doctrinarum spectandarum rationes subsistere et in unitatem abire juberet; verum hæc externa harmoniæ efficiendæ conamina, qvæ adeo pro mandatis a civitate datis habenda erant, non nisi externam unitatem provocare valuerunt, ita ut de ipsâ doctrinarum christianarum indole non tam qværeretur, qvam de modo, qvo explicarentur. Qvam ob rem vires illæ spirituales, qvæ e vitâ Origenis in ecclesiam emanaverant, ultra prodire sine obstaculis non potuerunt; — qvanto namque magis fides historico-ecclesiastica notionem orthodoxiæ unice constituebat, vitæqve austeritas sanctior habebatur, tanto rigidius crescens indies cleri imperium in philosophicam humanioremqve dogmatum christianorum enucleationem odium exercere cæpit.

§ 6.

Inter clarissimos Origenis præcones fuere Rufinus atqve Hieronymus, qvorum hic 14 in Jeremiam totidemqve in Ezechielem Origenis homilias latine redditas edidit tantâqve admiratione Origenem proseqvebatur, ut secundi

ab Apostolis magistri titulo illum ornare haud dubitaret [16]); At qvo magis vitæ asceticæ se consecravit orthodoxiæqve ecclesiasticæ adhærere coepit, eo iniqvior Origenis arbiter evasit, ejusqve admiratione in fastidium abeunte, omnes tandem Origenis fautores infestissimo tanqvam hæreticos odio perseqvutus est. Hinc disrupta atqve adeo in atrocissimum odium conversa, intima, qvæ inde â juventute inter Rufinum ac Hieronymum intercesserat amicitia, cujus primam occasionem dedit Aterbius qvidam, qvi unacum aliis in Rufinum, ut sectatorem Origenis clamare coepit et Hieronymum utpote Rufini amicum et olim Origenis fautorem eodem crimine involvit; ex qvo Hieronymus se Origenis adversarium publicè profiteri coepit. Paullo antea exorta erat discordia inter Epiphanium, Salaminis in Cypro episcopum, Origeni qvam maximè infestum (de qvo vide infra § 17) et Johannem episcopum Hierosolymitanum ejusdem fautorem, in qvo dissidio Rufinus Johanni, Hieronymus Epiphanio, adhæsit; sic Rufinus et Hieronymus ex opposito adversi magis magisqve alienabantur; nec tamen inimicitia inter eos prius palam erupit, qvam anno 401 [17]).

---

16) cfr. Hieron. Præfat. ad Vincent. Engelst. de Hieron. § 10.

17) Rectius Engelstoft § 18 disruptum palam inter eos amicitiæ vinculum anno 401, dicit, qvam Vallarsius, qvi in vitâ Rufini cap. 3. hoc in annum 394 refert, tum enim a diversâ modo parte stabant, nec ulla mutuæ inimicitiæ signa ediderunt; immo, qvatuor annis antea, exstincto schismate Hierosolymitano ɔ: anno 397, dextris junctis amicitiæ foedus instaurârunt cfr. Hieron. Apol. Lib. 3. p. 462.

§ 7.

Eo jam pervenimus, unde Rufino et apud Hieronymum et multos alios summa invidia et reprehensio conflatæ sunt; qvod scilicet ex oriente anno 398 in occidentem reversus et in monasterio Pineti in agro romano degens, rogante Macario qvodam, qvatuor Περὶ Ἀρχῶν Origenis libros, etsi non uno tenore, in lingvam latinam transtulit, in qvorum præfatione auctoritatem prætendit Hieronymi, qvi Origenem tantopere laudasset, ut scripta ejus legendi desiderium cuivis commovisset, seqve ait rem ab Hieronymo inceptam atqve probatam perseqvi, etsi non æqvis eloqventiæ viribus tanti viri dicta ornare posset. Qvam Rufini de Hieronymo laudem fictam et obliqvam simul esse, qvasi ejus nominis famâ Rufinus propriam hæresin tegere vellet, amici Pammachius et Oceanus ad Hieronymum detulerunt; qvo nuntio in furorem actus, redditis ad eos literis, Origenis præfatiunculam fusius refutavit, auctoremqve vehementer increpans, se ab Origenis dogmatibus omnino alienum esse declaravit et novam Origenis librorum Περὶ Ἀρχῶν versionem à se elaboratam iis misit; verum hoc unicum mansvetudinis exemplum dedit, qvod nomini Rufini ita pepercit, ut ne uno qvidem verbo illum tanqvam auctorem alterius versionis nominaret; qva re amici non acqviescentes, sinistrum Rufino ab Hieronymo testimonium datum in vulgus disperserunt, nomen Rufini palam eo magis exosum reddituri, qvo Hieronymi auctoritas illum gravius premere videbatur. Rufinus vero, qvæ contra se scriberentur, silentio non prætereunda ratus, apologiam duobus libris constantem, anno 401 scripsit, cujus gravissimis capitibus per amicos acceptis, Hierony-

mus duobus apologiæ libris in Rufinum invectus, epistolam ei, nunc deperditam extorsit, ac subinde tertium apologiæ librum contra Rufinum conscripsit, ad qvem hic nil omnino respondit.

§ 8.

Origenes igitur et nominatim libri eius *Περὶ Ἀρχῶν* discordiæ inter Rufinum atqve Hieronymum causa primaria fuerunt, qvippe qvi doctrinas fidei ecclesiasticæ adversantes continere crederentur; et certè ex omnibus Origenis scriptis hoc notissimum fuit, nam in illo singula religionis christianæ principia definiendo perseqvi conatus est; in eo enim de Deo, de patre videlicet, de filio spirituqve sancto, de angelis, animâ, mundo, sacra scripturâ aliisqve disputat. Qood Deum attinet, statuit illum esse incomprehensibilem et inæstimabilem[18]) invisibilem et incorporeum[19]) in cuius naturâ nulla sit divisio[20]); creatas vero res omnes vicissitudinibus obnoxias[21]) boni matiqve capaces[22]); mali vero causam in entium ratione præditorum imperfectione qværendam, et ex abusu libertatis, qvæ essentiam rationalium creaturarum qvasi constituat, et peccatum oriri et diversum, in qvo consistant,

---

18) Monendum est, me seqvi edit. Oper. Origen. auctore Carolo Delarue Paris. 1733 in fol.
cfr. περὶ Ἀρχῶν Lib. 1. cap. 1. mum. 5. p. 50.
19) — — Lib. 2. cap. 4. num. 3. pag. 86.
20) — — Lib. 1. cap. 2. n. 5. p. 55.
21) — — Lib. 2. c. 9. n. 2. p. 97.
22) — — Lib. 1. c. 8. n. 4. p. 76.

perfectionis gradum[23]); indeqve præexistentiam animarum elicit; nam, qvo ei objectioni occurrat, rationes externas, qvæ unumqvemqve ad conscientiam sui emergentem circumdent, plus minus conferre ad liberam virium spiritualium explicationem, et ad earum diversitatem, hominis nullâ culpâ provocatam, diversitatem conditionis humanæ referendam esse; statuit, Deum ante corpora numerum qvendam animarum æqvabilium creâsse[24]) qvæ pro peccatorum mensurâ et qvalitate variis corporibus, cev carceribus, humilitati locorum congruis inclusæ sint[25]); prius vero qvam ad inferiora loca descenderent, et de invisibilibus ad visibilia commigrarent, ruentesqve ad terram crassis corporibus indigerent, in diviniore habitaculo apud superos commoratas esse[26]); primum vero omnium spirituum, qvi inde ab initio amore perfectissimo Deo fuerit conjunctissimus, merueritqve â Deo nunqvam amplius divelli, animam esse Jesu Christi[27]); ceteros omnes, qvi naturæ divinæ participes non sint, mutabiles esse[28]), cum conditionibus mutabilibus obnoxii libertatė fruantur, ideoqve impeccabiles non reddi; hinc poenarum naturam eliciendam; esse nimirum medicinales e bonitate Dei pariter

---

23) De arbitrii libertate passim disputat; cfr. Præfat. ad Libr. 1. num. 5. p. 48. lib. 1. cap. 9. n. 6. et 7. p. 99 et libr. 3. cap. 1. p. 108.

24) Lib. 2. cap. 9. n. 6. p. 99. Lib. 1. c. 7. n. 3. p. 72.

25) Lib. 3. cap. 5. n. 4. p. 150.

26) Loco citato.

27) Lib. 4. n. 31. p. 191.

28) Lib. 2. c. 9. p. 97 etc.

ac justitiâ, corrigendis, qvi luant, inflictas; nec sermonem esse posse de illarum æternitate[29]) cum vel ipse diabolus, etsi post longam seculorum seriem resipiscens ad Deum aliqvando sit reversurus[30]); nam post hunc alios fore mundos, qvemadmodum plures antea fuerint[31]); e notione qvippe mundi notionem temporis pendere, nec sine mundo tempus unqvam fore, ne Deus ociari videatur; post resurrectionem omnium corpus fore aëreum, non e carne constans, qvæ poenæ loco entibus adhæreat[32]).

§ 9.

Hæc e multis non nisi pauca ideo delibata sunt, ut appareat, in qvibusnam imprimis fidei articulis hi libri à norma ecclesiæ credendorum divergentes, crimen hæreseos auctori et interpreti contraxerint. Nec tamen Origenes has doctrinas pro absolutâ veritate venditavit, sed modo tanqvam opiniones problematicas judicio lectoris submittendas proposuit; doctrinæ enim ecclesiæ catholicæ primum generatim expositæ sententias suas annectit[33]) coqve ipso discrimen inter *Πιςίν* et *γνωσιν* indicans discipulos per illam ad hanc ducere voluit, elementum religionis historicum et philosophicum conciliaturus. Propter hanc operis ideam fundamentalem, qvam bene de ecclesiâ meritus sit Origenes, iis modo persvaderi potest, qvibus

---

29) Lib. 2. cap. 5. n. 3. p. 88.

30) Lib. 1. c. 6. p. 69. et 71 item: cap. 8. p. 75.

31) Lib. 2. c. 3. p. 79 et Lib. 3. c. 5. p. 149.

32) Lib. 3. c. 5. p. 149 et 150.

33) cfr. Præfat. Origen. Libri 1 *Περὶ Ἀρχῶν* pag. 47 et 48.

curæ cordiqve est, desiderium religiosum cum indole religionis christianæ conciliare, ideasqve menti humanæ divinitus innatas in revelatione Dei historicâ confirmatas reperire; nam ex hoc Origenis opere sincerum veritatis examinandæ studium elucet, et si disputatio fidei confirmandæ ubiqve non inserviat, id saltem effecit, ut oppositio inter fidem historico-ecclesiasticam et philosophicam rerum divinarum considerationem luculentius indicaretur, cuius discriminis exponendi conamina eos, qvi fidem ecclesiasticam cum biblicâ confusam mordaciter tenebant, necessario offenderunt.

§ 10.

Cum igitur qværitur, qvo jure Rufinus libris Origenis *Περὶ Ἀρχῶν* in latinum sermonem vertendis invidiam et odium Hieronymi aliorumqve sibi conflaverit, distingvendum est inter opus susceptum et operis absolvendi modum. — Qvod illud attinet, facile apparet, talem laborem adeo non esse vituperandum, ut nesciam an ulli illius ævi suscepto plus debeat theologia, si modo versionem sacri codicis Hieronymianam exceperis; indicatâ enim oppositione inter fidem ecclesiasticam et philosophicam fidei explanationem, excitatoqve simul fidei stabiliendæ desiderio, vires doctorum ad theologiam uberius excolendam provocabantur, ita ut haud vero absimile sit, nisi veritatis examinandæ libertas inde nata, externis ecclesiæ armis oppressa fuisset, theologiam illius ævi alium omnino colorem ad philosophiam magis vergentem, nacturam fuisse. Sed ævi ingenio magis convenit, unitatem fidei ab ecclesiæ potestate constitui, qvam ad eam per disqvisitionem rerum

credendarum emergere. Eo igitur nomine Rufino certè gratiæ referendæ sunt, qvod ejus potissimum curâ et studio, Origenis plerisqve lucubrationibus deperditis græcè scriptis, illæ saltem, qvas latio reddidit, qvasi paucæ e magno naufragio tabulæ superstites ad nos venerunt.

§ 11.

Ceterum aliter res se habet, si de eo qværitur, num interpretis munere ritè fungendo sententiisqve ac verbis auctoris fideliter transferendis laboris suscepti laudem servaverit; nam hoc omnino negandum est.

Qvamvis enim de fide Rufini interpretis judicaturo haud mediocris inde difficultas oriatur, qvod non nisi fragmenta græci textus habeamus ideoqve de variis gravissimi momenti locis nil certi statuere valeamus, e versione tamen Rufini, partim cum effatis Origenis, qvibus temporis injuria pepercit, partim cum interpretatione Hieronymi in epistolâ ad Avitum 94 et alibi collatâ, evinci poterit, Rufinum, ea librorum *Περὶ Ἀ'ρχῶν* loca, qvæ ab ecclesiastica fide nimis abhorrere viderentur, ad sancitam ab ecclesiâ credendorum normam plus justo accommodâsse; cujus rei exempla qvædam adferamus:

Περι Ἀ'ρχῶν Lib. 1. cap. 2. n. 12. p. 59. *Οὕτω τοίνυν ἡγȣ̃μαι καὶ επὶ τȣ̃ σωτῆρος καλῶς ἂν λεχθήσεθαι ὅτι εἰκὼν αγαθὸτητος τȣ θεȣ̃ ἐςιν, αλλ' ȣ̓κ ἁυτὸ ἀγαθόν, καὶ ταχα ὓος ἀγαθὸς, αλλ' ȣκ ὡς απλῶς αγαθός. καὶ ὥσπερ ἐικών εςί τȣ̃ θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτȣ, και κατα τȣ̃το θεὸς, αλλ' ȣ περὶ ȣ̃ λέγει αυτος ὁ χριςός. ἳνα γινώσκωσί σε τον μόνον ἀληθινὸν θεον. ȣ̔̃τως εἰκὼν ἀγαθοτητος, ἀλλ' ȣχ ὥς ὁ Πατὴρ ἀπαραλλὰκτως ἀγαθος.* Pro his verbis alia omnino

Rufinus substituit et sensum eo usqve emollire conatus est, ut eandem filio, qvam patri bonitatem adscripsisse Origenem faciat; nec tamen jure merito Hieronymus in epistolâ ad Avitum nuper commemoratâ, Origenem hic filium non bonum, sed auram qvandam et imaginem bonitatis asseruisse contendit; hoc enim utiqve observandum est, Origenem in dignitate Christo detrahendâ non versari, sed multo magis eam cum doctrinâ suâ de Deo fundamentali conciliantem hoc unice inculcare: Deum patrem esse omnis perfectionis primum et ultimum principium, et ad hoc principium perfectissimam filii bonitatem esse referendam.

Lib. 1. cap. 3. n. 5. p. 62. *ὅ μεν θεὸς καὶ πατήρ συνέχων τὰ πάντα φθανει εις ἕκαϛον των ὄντων μεταδιδȣ́ς ἑκάϛω απο τȣ̃ ιδιȣ το είναι. ὧν γάρ εϛιν. ἐλάττων δὲ πρὸς τον πατήρα ὁ ὕος φθανων επὶ μονα τα λογικὰ, δευτερὸς γάρ ἐϛι τȣ̃ πατρός. ἔτι δε ἧττων τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιὸν έπί μόνȣς τȣ́ς ἅγιȣς διικνȣ́μενον· ὥϛε κατα τȣ̃το μειδζων ἡ δύναμις τȣ́ πατρὸς παρα τον ὕον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πλέιων δε ἥ τȣ̃ ὑȣ̃ παρὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιὸν* etc. Hæc Rufinus mutando addendoqve ad sensum catholicum revocavit; at Hieronymus Origeni verba textus græci crimini vertit, qvasi filium et spiritum sanctum patre minores esse voluerit, et recte, si ad litteras verba resecantur; verum e contextu loci apparere videtur, Origenem non tam de discrimine inter potestatem illorum faciendo cogitâsse, qvam de diverso illo modo, qvo natura divina manifestetur; et tum Deus pater prima ultimaqve omnium causa, ubiqve ac in omnibus sese revelat, filius in historiam generis humani descendit, et spiritus sanctus non

nisi in pià mente operatur, unde non potentiæ, sed revelationis respectu objectorum diversitas gignitur. Lib. 1. c. 5. n. 5. pag. 68. ubi textus græcus deperditus est; versiones autem Rufini et Hieronymi aliqvantum inter se discrepant; qvarum Rufini sic audit: Et per hoc conseqvens est in nobis esse atqve in nostris motibus, ut vel beati, vel sancti simus, vel per desidiam et negligentiam à beatitudine in malitiam et perditionem vergamus in tantum, ut nimius profectus (ut ita dicam) malitiæ, si qvis in tantum sui neglexerit, usqve ad eum statum deveniat, ut ea, qvæ dicitur, contraria virtus efficiatur. Hieronymi sic: Qvibus moti disputationibus, arbitramur suâ sponte alios esse in numero sanctorum et ministerio Dei, alios ob culpam propriam de sanctimoniâ corruentes, in tantam negligentiam corruisse, ut etiam in contrarias fortitudines verterentur. Qvamvis utraqve versio similem sensum reddat, Rufinus tamen variis vocabulis addendis (ex. c. ut ita dicam — qvæ dicitur) sensum mitigare studuisse videtur, qvasi partim problematicam, partim vulgo receptam sententiam Origenes inculcare voluisset; eatenus autem alteri versionem ejus præferendam existimo, qvod præsens tempus retinuit; auctoris enim sine dubio consilium fuit de naturâ humanâ ita disputare, ut ostenderet, nec ullum vel substantialiter vel naturaliter immaculatum, nec substantialiter esse pollutum; ideoqve, si diaboli exemplum in præcedentibus attulerit, non tam de certis qvibusdam exemplis, qvam de naturâ humanâ in universum cogitavit.

Lib. 1. c. 6. n. 2. p. 69 et 70 Rufinus verba Origenis de conditione vitæ futuræ diversâ ac vicissitudinibus

obnoxiâ emollire conatus est, sensnmqve non sine longo circnitn reddidit.

Lib. 1. c. 7. n. 4. p. 73. verbotenus non transtulit.

Lib. 1. c. 8. n. 4. p. 76 ἡ ψυχὴ ἀποῤῥέȣσα τȣ̃ καλȣ̃, καὶ τῇ κακιᾷ προςκλιναμένη καὶ επὶ πλεῖον εν ταύτῃ γινομένη, εἰ μὴ ὑποςρεφοι, ὑπὸ της ἀνοιας ἀποκτινȣ̃ται, και ὑπὸ της πονηρίας ἀποθηριȣ̃ται. και μετ᾽ ὀλιγα· και αἱρεῖται πρὸς τὸ ἀλογωθῆναι, και τον ἔνυδρον, ἵν᾽ ȣ̔́τως ἐιπω, βίον· και τάχα κατ᾽ αξίαν τῆς ἐπὶ πλεῖον πτώσεως τῆς κακίας ενδύεται σώματα ὁδεῆ (?) τοιȣ̃δε ζώȣ ἀλόγȣ.

Hæc omnia Rufinus tantopere pervertit, ut Origenem eadem improbantem induxerit; e contrario Hieronymus Origenem hanc μετεμψυχωσιν tradidisse in epistolâ ad Avitum contendit. Attamen, si μετεμψυχώσις platonica principiis doctrinæ Origenianæ de præexistentiâ animarum admodum vicina sit, cum utraqve transmigrationem animarum coelitus delapsarum admittat, eam tamen Origenes neqve probavit (cfr. contr. Cels. Lib. 4. n. 16. p. 512), nec ei ab Epiphanio usqvam crimini versa est, qvi non minore in dogmata Origenis, qvam in μετεμψυχώσιν odio ferebatur[34]). Si deniqve ad locum nostrum respicimus, ex eo

---

[34]) cfr. (Oper. Epiphanii edit. a Petavio Aurelianensi Coloniæ, anno 1682) Epiphan. Advers. Hæres. Lib. 1. n. 2. p. 13. ubi in Stoicos his verbis perorat: και περὶ τȣ̃ τῶν ψυχῶν μεταγγισμȣ̃ πολλή τις ἡ φαυλότης τῆς παραπεποιημένης σȣ διανοίας εθελόσοφε, και γνῶσιν ἀνθρώποις επαγγελλομενε. εἰ γαρ μερος θεȣ̃ ὑπάρχει καὶ ἀθάνατος, σώματα δὲ οἰκτρα ȣ̓ μόνον ἐι ποιμι θηρῶν τε καὶ ἑρπετῶν καὶ κνωδάλων δυσγενῶν τῃ πλάσει αὐτῆς συνάπτεις, τῇ ἀπο θεȣ̃ κατά σε την ȣσιαν κεκτημενη, καὶ τι ἂν γενοιτο τȣ́τȣ μοχθηρότερον;

hæc doctrina necessario non seqvitur; apparet enim e verbis: ἵν' ὅτως εἴπω, cetera comparativè esse dicta, auctoremqve in eo versari, ut coloribus vividis mentem ad vitia qvæcunqve proclivem describat, qvæ ad brutorum vitam sordibus diffluentem descendere non recuset.

Lib. 2. c. 1. n. 1. p. 77. pro concinnâ textus græci brevitate, superfluam verborum copiam substituit.

L. 2. c. 3. n. 2. p. 80. Versiones Rufini et Hieronymi inter se differunt, Rufini: Si enim aliqvis potest vivere sine corpore, possunt et omnia esse sine corpore; omnia enim ad unum finem tendere superior tractatus edocuit. Si autem omnia possunt carere corporibus, sine dubio non erit substantia corporalis, cujus usus nullus existet. Hieronymi: Si omnia, ut ipse disputationis ordo compellit, sine corpore vixerint, consumetur corporalis universa natura et redigetur in nihilum, qvæ aliqvando facta est de nihilo, eritqve tempus, qvo usus ejus iterum necessarius sit. Utra versio hic præferenda sit, in medio relinqvam, utraqve enim cum principiis doctrinæ Origenianæ apprimè conspirat; secundum illam qvippe versionem loqvutus est de illo temporis momento, qvo omnia ad naturam spiritualem tantumqve perfectionis fastigium evecta sunt, ut Deus in omnibus omnia operetur; secundum hanc, de tempore hanc omnium consummationem præcedente, qvando creaturæ ratione præditæ eousqve nondum pervenerunt, ut necessitate novi corporis creandi sublatà, mutationis expertes a peccando prorsus destiterint.

Lib. 2. c. 6. n. 4. p. 90. accurate non transtulit.

Lib. 2. c. 8. n. 3. p. 95 et 96. Hieronymus sensum

et verba textus græci Rufino accuratius et nitidius exprestit.

L. 2. c. 9. n. 1. p. 97. Qvæ Origenes hic de finità Dei potentià disputavit, Rufinus in explicando declinavit, et hæe verba omnino præteriit: *ἐὰν γάρ ἤ ἄπειρος ἡ θεῖα δυναμις ἀνάγκη ἀυτην μηδὲ ἑαυτην νοεῖν;* et pro his: *πεποίηκε τοσαυτα ὧν ἐδύνατο περιδράξασθαι, και ἔχειν ἀυτα ὑπὸ χεῖρας,* voluntatem Dei ut creandi normam substituit. — Hæc vero ab Origene, non tam ad circumscribendam potentiam divinam dicta sunt, qvam qvo ostenderetur, certis intelligentiæ legibus esse adscripta, ita ut in Deo voluntas et potentia eædem habendæ sint.

Lib. 3. c. 6. n. 3. p. 153. ubi notissimum Origenis dogma de beatarum animarum lapsu et peccatis interpretatione suâ in alios transfert, qvin etiam, qvod adscribentem aliis Origenem inducit, id refutantem ipsum exhibet infra num. 6. his verbis; in qvo statu (ɔ: beatitudinis) etiam permanere semper et immutabiliter creatoris voluntate est credendum. Præterea qvam qvod hujus loci Rufiniana versio Hieronymianæ in eo omnino repugnat, qvod hæc verba ipsi Origeni tribuit, et sensum luculentiorem reddit, aliis etiam locis contradicit, ubi Origenes omnes creaturas mutabiles et vicissitudinibus obnoxias esse contendit (cfr. lib. 1. c. 9. p. 97).

Lie. 3. c. 6. n. 9. p. 155. ubi versio Rufini ita audit: tunc ergo conseqventer etiam natura corporea illum summum et cui addí jam nihil possit, recipiet statum; At Hieronymi sic: Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam, qvæ

omnibus melior est, in divinam scilicet, qvâ nulla est melior. — Deum omnia in omnibus ita fieri, ut in Divinam naturam corpora tandem reciperentur, â doctrina ecclesiæ de carnis hujus resurrectione, nimis abhorrere Rufino certè visum est; ideoqve ambiguitatem qvandam in interpretandis auctoris verbis servavit. Dubia etiam contra fidem versionis Hieronymi hoc loco moveri possent, postrema enim verba: in divinam scilicet, qvâ nulla est melior, non interpretationem, sed commentarium in præcedentia continere videntur, cum omnino superflua sint, nec nisi sensum priorum verborum repetant. Utcunqve res se habet, Origenis hæc certè fuit sententia: rem eo tandem venturam, ut in omnibus Deus operaretur et vel in corporibus sese manifestaret, qvum natura eorum post resurrectionem spiritualis eo magis redderetur, qvo alacrius creaturæ rationales ad perfectiorem statum eniterentur.

Lib. 4. n. 19 et 29 p. 181 et 182 Rufinus textum græcum reliqvit, alia omittens aliaqve mutans. Similiter num. 23. p. 185. ubi Origenes diversos gradus sortis infelicium in alterâ vitâ diversaqve habitacula commemorat; qvæ omnia Rufinus mitigare conatus est, et â receptâ inter sedem beatorum ac infelicium distinctione incipiens ad cetera proferenda caute pergit.

Lib. 4. n. 35. p. 194. interpretatio Hieronymi sensum Origenis accuratius, qvam Rufiniana exprimere videtur.

Varii prætcrea loci sunt, in qvibus, textu græco deperdito, versiones Rufini et Hieronymi inter se differunt; qvarum utri primæ deferendæ sint difficile erit pro certo definire. ex. c. Lib. 3. c. 1. n. 21. p. 136 et 137. cap. 3. n. 5. p. 144. cap. 5. n. 3 et 4. p. 149 et 150.

Restat, ut unum locum adferamus, qvo fides Rufini in dubium vix vocari debet, etsi versio ejus Hieronymianæ repugnet, ɔ: Lib. 1. c. 2. n. 8 p. 56. versio Rufini: imago ergo est (ɔ: Christus) invisibilis Dei patris, qvantum ad ipsum qvidem patrem veritas, qvantum autem ad nos, qvibus revelat patrem, imago est, per qvam cognoscimus Patrem, qvem nemo alius novit, nisi filius et cui voluerit filius revelare etc. Hieronymus autem in epistolâ ad Avitum contendit Origenem docere, qvod sine dubio ad locum nostrum respicit: filium, qvi sit imago invisibilis patris, comparatum patri non esse veritatem; apud nos autem, qvi Dei omnipotentis non possimus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri, ut majestas et magnitudo majoris qvodam modo circumscripta sentiatur in filio: Deum patrem esse lumen incomprehensibile; Christum collatione patris, splendorem esse perparvum, qvi apud nos pro imbecillitate nostrâ magnus esse videatur. — Verum hæc Hieronymi effata in libris Origenis, qvi exstant, qvantum ecqvidem scio, nullibi reperiuntur, aliisqve locis apertè repugnant, ubi Origenes plenam et perfectam veritatem (*αυτοαληθειαν*) in Christo fuisse dicit. cfr. cont. Cels. Lib. 6. n. 47. p. 669. Id certe Origenes affirmare voluit, patrem qvidem esse omnis veritatis fontem atqve principium: Christum nihilo secius veritatem esse posse, cum omnia ei à patre concessa sint ejusqve imaginem moralem referat, qvam in supremo loco positam intellectualis necessario seqvatur.

§ 12.

Ex his, qvæ allata sunt, Rufinum in vertendis libris Περὶ Ἀρχῶν justos limites transiisse patebit, qvod etiam ipse qvodam modo confessus, regulam, qvam in explicandis fidei articulis secutus sit sui purgandi causa proposuit[35]; dicit qvippe qvædam in libris Περι Ἀρχῶν ita catholice scripta, ut ecclesia prædicaret, qvædam autem his contraria; cum de unâ eademqve re dicatur, hæc secundum illam semper regulam proferenda sibi esse visa, qvam ipse catholicæ regulæ expositione Origenes protulisset, et ea, qvæ à semet ipso invenirentur esse contraria vel ab aliis inserta[36], se abjecisse, aut certe, ut nihil ædificationis in fide habentia præteriisse. — Voluit igitur ex analogiâ locorum cum fide catholicâ consentientium, cetera explicari; verum hoc non esse interpretis, qvi sensum et verba uniuscujusqve loci diligenter exprimere debeat, qvis non videt? ideoqve ab Hieronymo haud immerito male audiit, ut qvi ex hæretico Origenem catholicum reddere studuisset[37]. Nec tamen hoc ita intelligendum esse, ac si omnia Origenis effata auribus orthodoxis Rufinus accomodaverit, cum e libris ipsis apparet (cfr. supra

---

35) Ruf. Apolog. Lib. 1. n. 12. Blondell. in Defens. Fid. Nicæn. Sect. 2. c. 9. dicit constare Rufinum in vertendis Origenis libris, multa de suo addidisse, sed qvotiescunqve eâ libertate usus fuerit, de eo lectorem suum, prout hominem probum et veri amantem decebat, ipsum expressè monuisse. Hoc vero Rufinum non fecisse, e locis supra allatis apparet.

36) Rufin. scripsit librum de adulteratione librorum Origenis.

37) Hieron. Epist. 84.

§ 8), tum qvoqve inde, qvod, si id fecisset, nec in crimen hærescos incidisset, nec Hieronymus eum propter novam istam Latinisqve inauditam doctrinam sugillâsset; deniqve, qvod ipse satius putavit, confessionem suam fidei catholicæ congruam præmittere[38]), ne, ut ipsius verbis utar, calumniantibus locus daretur, cum confessionis editæ vox ab omni suspicione contrarii dogmatis ipsum tutum fecisset atqve munitum. Credidit enim, discrimine inter se ut interpretem et auctorem facto, suspicionem omnem hæreseos à se posse amoveri, non observans, cum auctoris ad fidem ecclesiasticam redigendi sententiasqve ejus orthodoxas reddendi munus suscepisset, fore, ut, si qvæ his invenirentur contraria, eorum culpa sibi adscriberetur. — Tantum vero abest, ut sui excusandi ergo Origenis causam deseruerit debitasve illi laudes detraxerit, ut eruditionem ejus et ingenium summis ubiqve laudibus efferat, illiusqve à vituperiis vindicandi causa nil intentatum relinqvat; qvemadmodum enim hunc in finem Apologiam Pamphili pro Origene e græco in latinum sermonem transtulit[39]) sic etiam ipse contendit, Origenis libros in quam

---

38) cfr. Apolog. Lib. 1. n. 13. 14. 36. et Præfat. ad Libr. περὶ Ἀρχῶν, item: Apol. Lib. 2. n. 31 et sqq.

39) Hieronymo teste Lib. 1. apol. adv. Ruf. p. 357 hæc pro Origene Apologia e sex libris olim constabat; at Rufinus libri modo unius versionem confecit, ceteriqve jam deperditi sunt. Hanc porro Apologiam Hieronymus l. c. Pamphilo abjudicatam Evsebio Cæsaræensi episcopo tribuit; sed Evsebium et Pamphilum conjunctis viribus in eâ condendâ laborâsse, apparet ex Evseb. Hist. eccles. L. 6. c. 33. c. vers. Ruf. c. 24.

plurimis esse corruptos[40]); et qvod libros *Περὶ Ἀρχῶν* attinet, argumenti difficultate consiliiqve sinceritate auctorem defendit; agere nimirum de rebus, in qvibus philosophi omni sua ætate consumtâ nihil invenire potuerint. Qvæ tamen effata ad ungvem non resecanda sunt, siqvidem constat, qvosdam patres ecclesiasticos et nominatim Origenem aliqva in philosophis, dogmatibus christianis respondentia, invenisse sibi visos esse. Duos qvippe Platonis locos, ɔ: epistolas 6 et 7., Origenes cont. Cels. Lib. 6. n. 9. p. 636 de Christo explicat. Rufinus antem hoc sibi voluit, esse argumentum istorum librorum tam arduum atqve difficile, ut haud mediocrem laborem exigat, nec opus ideo statim esse rejiciendum aut condemnandum, si qvædam â fide ecclesiæ aliena continere videretur; et ita rectè monuit, argumentum librorum ad forum fidei ecclesiasticæ proximè non pertinere, nec ex hac pretium eorum unicè ponderandum esse, cum auctor non solum historico, sed etiam speculativo fundamento opus suum superstruxerit. Verum, qvæ Origenis excusandi ergo de argumenti explanandi difficultatibus attulit, alii vitio auctori verterunt, cum in ea se præceps curiosius ingessisset, qvæ captum humanum superarent; horum acerrimus Epiphanius Origenem vocat: *ἐρευνήτην των ἀνερευνήτων και εκβίβαςην των επεϱανίων*[41]).

Consilium vero auctoris magnopere laudandum Rufinus asseruit, cum id pro viribus egerit, ut creatoris fidem et creaturarum rationem ad pietatem converteret[42]);

---

40) Apolog Lib. 1. num. 15.

41) Epiphan. Advers. Hæres. Lib. 2. Tom. 1. p. 531.

42) Apolog. Lib. 1. n. 15.

seqve ideo bene meritum, cum proficere ad scientiam rerum volentibus materiam præbuisset et ita ignotum plerisqve philosophiæ religiosæ campum veritatis examinandæ studiosis aperuisset; sic autem suam cum Origenianâ causam qvasi inscius confundit; si enim laudis Origenis particeps fieri voluit, necesse est, ejusdem culpæ utrumqve fieri socium. Cum igitur argumentum librorum tantâ difficultate laboraret et consilium auctoris tam sincerum atqve honestum fuisset, si in verbo fortasse aliqvando erraverit, excusandum Origenem, animo benigno corrigendum ac emendandum esse monuit, si qvidem nos omnes, sacrâ scripturâ teste, in multis offendamus; nec illi deniqve vitio vertendum esse, qvod, ut ipsi ejus libri, sic etiam versio sua ab aliis corrupta sit; cujus rei probandæ causa locum adferens, qvando de invisibilitate Dei contra Valentinianos et Andropomorphitas Origenes egerat[43]), hæc verba schedulis suis falso addita esse qveritur[44]): qvia sicut filius patrem non videt, ita nec Spiritus sanctus videt filium; neqvaqvam enim sermonem fuisse de comparatione patris aut filii, sed de ipsa deitatis natura, num visibilitatis vocabulum in eam qvadrare posset. Ejus modi vero adulterationis nullum hodie exstat vestigium, attamen Rufini interpretis hoc loco fidem vagam esse, suspicari licet: primum enim versio ejus anxietatem qvandam in sensu exprimendo arguere videtur[45]); deinde qvoqve ipse

---

43) Origen: περὶ Ἀρχῶν Lib. 1. c. 1. n. 8. p. 53.

44) Apolog. Lib. 1. n. 19 et 20.

45) Versio Rufini sic audit: Qvod si reqviras â me, qvid etiam de ipso unigenito sentiam, si ne ipsi qvidem visi-

fatetur, in græco aliqva incautius fortasse posita se interpretando declinàsse, aut ad sensum catholicum revocàsse[46]); tum Hieronymus Origenem docuisse contendit[47]): qvemadmodum incongruum sit dicere, qvod possit filius videre patrem, ita inconveniens esse opinari, qvod spiritus sanctus possit videre filium; deniqve Epiphanius ex Origenis placitis unum hoc esse dicit[48]): ὅτι ὁ ὕος ὁ μονογενής ὁρᾶν τον πατερα ε δύναται, ἀλλ᾽ ἔτε τὸ πνεῦμα τον ὕον δύναται θεάσασθαι. qvæ verba, ut qvæ cum additamento versionis Rufinianæ apprimè conspirent, ostendunt, Rufinum aut falso de adulteratione qvestum esse, aut Epiphanium e certo aliqvo loco ea non desumsisse, sed e principiis doctrinæ Origenis elicuisse.

His fere continentur argumenta, qvibus Rufinus Origenis, ut librorum auctoris, causam adversus Hieronymum dicere conatus est; de iis vero, qvibus se ipsum, cum Hieronymo collatum, defendit, infra agemus, qvando ad polemicam ejus scribendi rationem perventum fuerit. Ex iis, qvæ hac de re allata sunt, tanta liberalitas humanitasqve elucet, ut non mirum sit, si alios non diversitate fidei, sed perversitate animi ad incusandum moveri crediderit[49]).

---

bilem dicam naturam Dei, qvæ naturaliter invisibilis est, ne tibi statim vel impium videatur esse vel absurdum.

46) Apol. l. c.

47) Epist. 38 ad Pammachium.

48) Epiphan. adv. Hæres. Lib 2. Tom. 1. p. 527. cfr. ejusd. Epist. ad Johan. Episc. Hieros. et Ancorat. p. 66.

49) Apolog. Lib. 1. n. 7.

Sectio Tertia.

de scriptis Rufini dogmaticis ejusqve de singulis fidei catholicæ articulis professione.

§ 13—29.

§ 13.

Cum igitur Rufini studium Origenem ad fidem ecclesiasticam revocandi, de orthodoxiâ ejus testari videatur, at ex alterâ parte susceptum Origenis patrocinium ejusqve per occidentem promulgandi conatus, sententiis Origenis aliqvatenus addictum fuisse arguant, præsertim cum omnia Origenis effata catholica non reddiderit; ea se jam nobis qvæstio offert, qvænam vera ipsius Rufini fuerit his de rebus persvasio; utrum sincero animo fidem ecclesiasticam amplexus fuerit, an metu interdum adactus, ne cev hæreseos reus damnaretur et e consortio christianorum excluderetur. Verum, qvo hæc qvæstio aliqvatenus solvi possit, necesse est, in diversa Rufini effata huc pertinentia deligentius inqviramus, et ex iis inter se collatis, qvantum fieri potest, ad persvasionem ipsius concludentes, in qvibusnam fidem catholicam amplexus sit, et qvasnam cum Origene sententias communes habuerit, ostendamus. Ceterum ante omnia hoc monendum puto, fidem Rufini ex eâ regulâ, qvam ipse seqvendam proposuit[50]), ponderandam esse: credendum esse Deum patrem unici filii sui Domini nostri, non discutiendum; nil enim putavit agi aut stare posse, nisi vis credendi præcesserit; nec ulli intel-

---

50) Comment. in Symb. Apostol. num. 4.

ligentiæ aditum patescere, nisi se credere antea professus sit. itaqve credendum ut intelligeretur. fidem qvippe, aut dispositionem ad credendum, omnis religionis esse fundamentum; disqvisitiones vero, sive historicæ, sive philosophicæ sint, explicandæ ac stabiliendæ fidei inservire. Hanc de fidei naturâ sententiam cum aliis patribus, nominatim Origene[51]) et Augustino[52]) communem habuit, qvorum hic fidem gradum ad intelligentiam esse statuit, neminemqve inveniendo Deo fieri idoneum, nisi prius crediderit, qvod sit postea cogniturus. His qvoqve rationibus adductum Rufinum Origenis dogmata qvam maximè promulgantem, at mox iterum ad fidem ecclesiasticam anxiè confugientem reperimus; ubi scilicet de sententiis Origenis cum fide ecclesiasticâ conciliandis desperare cæpit, satius putavit, fundamento historico, qvod divinam adeo habebat auctoritatem, qvam speculativo, à totâ fere ecclesiâ suspecto, inniti salutemqve suam committere.

§ 14.

Sparsos per libros sacros haberi, qvi in unam deinde massam mittendi sint, christanæ fidei articulos constat. Qvemadmodum autem in his nullus est liber, qvi compendium aut systema fidei christianæ nobis offerat, ita nec e patribus veteris ecclesiæ qvisqvam est (et ne ipse qvidem Origenes aut Lactantius), qvem jure merito huc trahere possimus; qvamvis enim hæc vel illa dogmata patres sparsim excoluerint, nemo tamen perfectum theo-

---

51) Origen. in Matth. Tom. 16. opp. Vol. 2. p. 728.

52) Aug. de lib. arbitrio Lib. 1. cap. 2. et Lib. 2. c. 3.

logiæ systema condidit, cum eam instituendi rationem secuti sint, qvam tempora opinionesqve adversariorum præcipuè reqvirebant. Nec Rufinus hac in re aliter versatus est; postqvam enim suspectos Origenis Περι Ἀρχῶν libros per occidentem promulgandi laborem in se suscepit, in orthodoxià suà vindicandà occupatus, eas modo doctrinas tetigit, qvæ notionem orthodoxiæ constituere crederentur; nec eas tamen philosophando tractavit, sed in fide suà exponendà obiterqve perstringendà acqvievit. Præcipuum ejus huc pertinens opus, habendus est commentarius, qvem scripsit in symbolum apostolicum[53]) cujus singulos articulos datà operà enucleare conatus est; hæc Symboli explicatio, cum à scriptoribus qvoqve ecclesiasticis laudata sit[54]), inspicienda nobis et cum aliis Rufini de fide suà effatis conferenda est.

§ 15.

Qvo errores, qvibus ab Hieronymo notabatur, à se amoliretur, Rufinus ad symbolum sæpius provocat, qvod Aqvileiæ sacrà aqvà ablutus accepit reddiditqve[55]); et

53) Fuisse, qvi hunc Commentarium Rufino abjudicatum, nunc Cypriano, nunc Hieronymo tribuerint, constat; sed de Rufino illius auctore vix qvempiam nostro tempore dubitaturum credo.

54) Gennadius de Scriptor. ecclesiast. cap. 17 pag. 93. edit. Jenæ 1703. Rufinum auctorem his verbis laudat: proprio autem labore, immo gratià Dei et dono exposuit idem Rufinus Symbolum, ut in ejus comparatione alii nec exposuisse credantur.

55) Apolog. Lib. 1. num. 4. 5. Apolog. ad Anastas. n. 4. vel

singularem illius formulam à romano et orientali aliqvantum differentem posteritati servavit, eandemqve in symbolo exponendo seqvutus est. Qvamvis autem nullum horum symbolorum integrnm recitaverit, singulas tamen eorum partes tam sedulo interpretando persecutus est, tantaqve ακριβεια, qvæ in qvovis omissa, addita, vel inter se differentia reperiantur, commemoravit, ut in unum levi negotio colligi possint. Discrimen inter hæc tria a Rufino recitata symbola hoc est.

Romanum.

Credo in Deum patrem omnipotentem.

Et in Christum Jesum, unicum filium ejus, Dominum nostrum, qvi natus est de Spiritu sancto ex Mariâ virgine, crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus, tertiâ die resurrexit à mortuis, ascendit in cælos, sedet ad dexteram patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.

Aqvileiense.

Credo in Deo patre omnipotente, invisibili et impassibili. Et in Christo Jesu, unico filio ejus, domino nostro. Qvi natus est de spiritu sancto ex Mariâ virgine, crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus, descendit ad inferna etc.

uti
Ro-
ma-
num

---

hoc unum monere debuisset, ne hoc opus Cypriano aut Hieronymo adscriberctur, qvorum neuter in aqvileiensi ecclesiâ gratiam lavacri suscepit.

Et in Spiritu Sancto, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, hujus carnis resurrectionem.

Orientale.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem; et in unum dominum nostrum Jesum Christum, unicum filium ejus. Qvi natus est de spiritu sancto ex Mariâ virgine. Crusifixus etc.

uti
Ro-
ma-
num

Et in Spiritum Sanctum etc.

uti
Ro-
ma-
num.

Tres hasce formas inter se comparatas cummuni symboli apostolici nomine ornavit, ad qvod condendum apostolos, prius qvam â se invicem discederent, convenisse narrat[56]). Qvamvis autem plures patres symbolum aliqvod ad apostolos auctores retulerint[57]) aliiqve singulas ejus particulas cuiqve adscribere conati sint[58]), constat

56) Comment. in Symb. Apost. cap. 2.

57) Ambros. Epist. 42. p. 967. Volum. 2. edit. Bened. credatur symbolo apostolorum, qvod ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat.

58) August. Opp. Volum. 5. edit Bened. App. p. 277 Sermo 240 & 241. Hoc symbolum, qvod nomen Augustini mentitur, cujus vero in germanis ejus monumentis nulla sunt vestigia, ita se habet:

tamen, certam symboli formam, qvæ fere nullibi eadem fuit, si ut factum historicum spectatur, ad apostolos non esse referendam, sed partim e fidei regulis ab Jrenæo ac Tertulliano traditis[59]), et ad hæreticos refellendos, cev apostolicis, allatis, partim ex antiqvissimis ad apostolos fere pertingentibus fidei formulis a catechumenis primævæ ecclesiæ pronuntiandis, sensim sensimqve coaluisse[60]). Sed, omissis argumentis historicis, qvæ symbolo originem apostolicam abrogent, monere mihi liceat, tale susceptum, neqve cum mente apostolorum indoleqve christianâ, neqve cum genuina fidei notione convenire videri. Qvemadmodum

Petrus dixit: credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ; Andreas dixit: et in Jesum Christum, filium ejus, unicum Dominum nostrum; Jacobus dixit: qvi conceptus est de spiritu sancto, natus ex Mariâ virgine; Johannes dixit: passus sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus et sepultus; Thomas dixit: descendit ad inferna, tertiâ die resurrexit â mortuis; Jacobus dixit: ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis; Philippus dixit: inde venturus est judicare vivos et mortuos; Bartholomæus dixit: credo in spiritum sanctum; Matthæus dixit: sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem; Simon dixit: remissionem peccatorum; Thaddaeus dixit: carnis resurrectionem; Matthias dixit: vitam æternam. efr. Walchii Biblioth. symbolica p. 68 et 69.

59) Jrenæus adv. Hæres. L. 1. c. 10. p. 48 edit. Massueti, Lib. 3. cap. 4. p. 178. Tertull. cont. Praxeam cap. 2. de præscript. adv. Hæret. c. 13. Lib. de virginib. velandis c. 1.

60) efr. Muller, Den christne Kirkes alm. Symbol. p. 59. etc.

enim apostoli christum ecclesiæ caput et fundamentum esse sæpissime inculcârunt, sic etiam liberam vitæ cristianæ enucleationem à fide in christum oriundam, qvocunqve modo promovere conati sunt, qvibus conatibus impediendis, constans, nec ullo modo commovenda oris externa professio, in ipsis literarum ductibus ubiqve consentiens, christianis obtrudenda, inserviisset; deinde qvoqve repugnat fidei eorum in Summi Numinis providentiam, indolem religionis christianæ genuinam per omnem temporum varietatem vindicaturam, et persvasioni de vi divinâ in doctrinâ coelitus depositâ, in piis mentibus fidem sua sponte provocaturâ; huc accedit, qvod talis labor, cujus auctoritas solis auctorum nominibus inniteretur, ab apostolorum agendi ratione plurimum abhorret, qvippe qvi ab omni ostentatione alienissimi, in propagandâ religione ad Deum omnia referrent, et à personalitate suâ, qvasi tenebris obvolutâ, animos aliorum ad lucem doctrinæ convertere studerent. At Rufinus, in origine symboli exponendâ, aliqvam certe traditionem secutus est, et nil impedit, qvominus argumentum, cum doctrinâ biblicâ conspirans, ad apostolos auctores referatur.

§ 16.

Ad symbola à Rufino commemorata redeuntibus, de unâqvaqve horum inter se discrepantium formâ, nonnulla nobis monenda sunt.

Qvod symbolum Romanum attinet, nullum exstat exemplum, qvod Rufini vetustius habendum sit, siqvidem, exceptis testimoniis historicis, simplicitas symbolorum ad ætatem eorum definiendam maximi momenti est. Ad

Rufini proximè accedit, symbolum ecclesiæ romanæ græcum qvod Marcellus Ancyranus recitavit[61]), et aliud græcum ab Usserio e codice seculi octavi descriptum[62]). At post Rufinum symboli Romani latini antiqvissima apud Leonem vestigia reperiuntur[63]), qvæ non nisi initium ejus continent, ita se habens: Fidelium universitas profitetur, credere se in Deum patrem omnipotentem et in Jesum Christum, filium ejus unicum, dominum nostrum, qvi natus est de Spiritu sancto et Mariâ virgine. Qvæ deinde seqvuntur symbola romana variis incrementis aucta (ex. c. e sacramentario Gelasiano, ex ordine Romano, ex Usserio auctius) recentioris temporis sunt.

Præter commemoratam â Rufino Symboli Aqvileiensis formam, duæ etiam aliæ exstant, qvas Maria de Rubeis in lucem produxit[64]), de tempore autem, qvo in consvetudinem ecclesiæ Aqvileiensis pervenire coeperint, hoc unum ex eo discimus, adservatas fuisse â Lupo sive Lupone, qvi sacris illius urbis gubernandis post annum 855 admotus fuit. Qvo autem discrimen inter has omnes luculentius appareat, utramqve formulam cum Rufinianâ conferendam hic apponamus:

---

61) Epiphan. Hæres, 72. § 2. 3. Tom. 1. p. 835 et 836.

62) cfr. Walchii Bibl. Symb. p. 58.

63) Leonis magni ad Flavianum de Evtychis lite epistola c. 2. p. 242. Tom. 1. edit. Qvesnelli. â Walchio commemoratum p. 59.

64) Maria do Rubcis Dissert. dc liturgicis ritibus eccles. Forojul. p. 242. 243. 249. et dissert. variæ erudit. p. 18. 19. cfr. Walchii Bibl. symb. p. 55.

1.

Credo in Deum patrem omnipotentem. Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, dominum nostrum. Qvi natus est de spiritu sancto ex Mariâ virgine. Sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus. Tertiâ die resurrexit â mortuis. Ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris, inde venturus est, judicare vivos et mortuos. Credo in spiritum sanctum. Sanctam ecclesiam. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem.

2.

Credo in Deum patrem omnipotentem. Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, dominum nostrum. Qvi natus est de Spiritu sancto ex Mariâ virgine. Sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus. Tertiâ die resurrexit vivens â mortuis. Ascendit in coelum. Sedet ad dexteram patris. Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum. Sanctam ecclesiam catholicam. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem et vitam æternam.

Si hæ formulæ una cum alterâ conferuntur, manifestum esse puto, ad idem tempus utramqve non pertinere, cum illa ad simplicitatem primævam longe propius accedat, nec a formulâ Symboli Romani Rufinianâ multum differat, vocabula vero: vivens — catholicam (vitam æternam) huic addita, recentius tempus redoleant. Verum illa non solum hac, sed Rufinianâ qvoqve symboli aqvileiensis formulâ vetustior esse videtur, qvippe qvæ, nec descensus Christi ad inferos, nec hujus carnis resurrectionis mentionem ullam faciat. Utra vero Rufini an auctior illa symboli

formula recentior habenda sit, pro certo vix definiri poterit, cum utraqve suis, etsi diversis, incrementis laboret. Ceterum de singulis Symboli aqvileiensis, à Rufino commemorati, particulis infra agemus, prouti illius de qvovis fidei catholicæ articulo examinanda professio reqviret.

Qvod formulam Symboli orientalis supra commemorati attinet, Rufinum, non tam de symbolo aliqvo à toto oriente, qvam à certis qvibusdam ecclesiis, et, nominatim Hierosolymitanâ, aut Alexandrinâ recepto cogitâsse, suspicionem movet finis apologiæ ejus ad Anastasium, ubi hæc leguntur: ego autem, inqvit, præter hanc fidem, qvam supra exposui, id est: qvam ecclesia Romana et Alexandrina et Aqvileiensis nostra tenet, qvæqve Hierosolymis prædicatur, aliam nec habui unqvam, nec habeo in Christi nomine, nec habebo etc., qvæ sententia eo etiam confirmari videtur, qvod complures in utroqve loco annos transegit; tanto magis mireris, formulam ejus, neqve cum symbolis ecclesiæ Hierosolymitanæ apud Cyrillum, neqve cum Alexandrinæ, qvæ Arius, Alexander ac Epiphanius retulerunt, consentire. — Nec si ad Cæsaream vel Antiochiam transierimus, ullam cum harum exclesiarum symbolis similitudinem habere reperietur.

Ex tribus hisce symbolis, Romano propter intemeratam simplicitatem primas deferendas Rufinus monuit, cujus causam inde derivat, qvod neqve hæresis ulla exordium Romæ sumsisset, et antiqvus mos ibi servatus fuisset, eos, qvi gratiam baptismi suscepturi essent, publicè symbolum reddere, cum utiqve adjectionem unius saltem sermonis,

eorum, qvi in fide præcessissent, auditus non admitteret[65]; qvæ effata vitio ei vertuntur, qvasi publicam fidei professionem, pluribus locis communem, ad Romanos solos trahere voluisset [66]). Hæc autem criminatio e verbis cjus non rite observatis profecta est, nec ex iis elici potest; id enim unice contendit, additamentis difficiliorem aditum patescere, ubi professio fidei publico auditorum examini subjiciatur, qvem morem antiqvum cum ecclesia romana servaverit, symbolum qvoqve illius plus simplicitatis retinuisse, qvam in iis locis, ubi consvetudo ista obsoleta abrogataqve sit. Agit igitur de hujus moris retinendi utilitate, nec in eo, qvot illum ecclesiæ retinuerint, examinando versatur. — Ceterum ad conformitatem symboli, qvam publica fidei professio tueri potuisset, destruendam, et ad varietatem variis in locis provocandam, haud parum contulisse videtur, qvod, Rufini aliorumqve patrum testimonio [67]), symbolum literis non mandari, sed memoriâ retineri solebat, ut certum esset, neminem ex lectione qvæ interdum pervenire etiam ad infideles soleret, sed apostolorum traditione didicisse [68]).

§ 17.

Rufinus de naturâ divinâ disputans in notionibus qvam maximè spiritualibus adhibendis semper sibi constat [69]) et

65) Comment. in Symb. Apost. num. 3.

66) Muller, om den christne Kirkes alm. Symb. p. 102. Nota.

67) Comment. in Symb. Apost. n. 2. August. Sermo 214 § 1. Hieron. Epist. 61 Ad Pammachium.

68) Rufin. l. c.

69) Apol. Lib. 1. n. 17 et 18. Comment. in Symb. n. 4. ubi

Origenem hac in re seqvutus est, qvi omnem corporis notionem à Deo omnino amoveri voluit, et visibilitatis vocabulum, cui corporis notio adhæreret, contra Valentinianos et Audropomorphitas de Summo numine adhiberi posse negavit[70]), qvod deinde hostes in eo reprehenderunt[71]). At hi iterum ab Origenis fautoribus Andropomorphitarum nomine notati sunt, et Epiphanius, cum anno 394 Hierosolymis in Origenem, ut Arii patrem et aliarum hæreseon radicem perorare coepisset, à concionando desistere jussus est per episcopum Johannem, qvi paullo post, contra hæreticos andropomorphitas, formam humanam Deo tribuentes, Origeni omnino oppositos, concionem habuit, qvibus Epiphanium ejusqve asseclas designavit. Attamen plures patres cum Rufino et Origene in invisibilitate naturæ divinæ vindicandâ consentiunt, maximeqve Augustinus, qvi dicit Deum naturâ invisibilem esse, nec ab ullo unqvam visum, qvia eam, qvæ in Deo habitet, plenitudinem divinitatis nemo mente aut oculis comprehendere possit[72]). Motis itaqve in ecclesia de visibilitate Dei qvæstionibus ac suffragiis in utramqve partem divisis, vocabula impassibilis et invisibilis, polemico certe consilio,

---

dicit, Deum esse sine initio, sine fine, simplicem, sine ullâ admistione, invisibilem, incorporeum, ineffabilem, inæstimabilem, in qvo nihil adjunctum, nihil creatum sit.

70) Origen cont. Cels. Lib. 7. num. 37. p. 720 et περι Ἀρχῶν Lib. I. cap. 1. n. 5 et 8. p. 51 et 53. cfr. etiam Comment. in Cantica Cantic. Lib. 3. p. 84.

71) Apol. Lib. 1. n. 17 et 18.

72) August. epist. 147.

formulæ Symboli Aqvileiensis addita Patripassianisqve imprimis opposita sunt, qvi patrem ipsum vel ex virgine natum et in carne passum affirmârunt.

§ 18.

Metaphysicam incarnationis divinæ disqvisitionem Rufinus dissvasit, metuens, ne, si in hujus, ut ait, arcani profundo nos curiosius ingeramus, forte, dum innaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutamur, exiguum ipsum, qvi mortalibus divino munere concessus est, aspectum perdamus[73]. Qvæ effata primo qvidem aspectu cum Rufini scripta Origenis in occidente qvam maximè commendandi conatibus constare non posse videntur; sed observandum est, oculis Rufini litem Arianam, e disputationibus de naturâ Christi ortam, obversatam fuisse, persvasumqve illum habuisse, disqvisitiones speculativas, cum pro iis, ut aris et focis, pugnaretur, ad fidem enucleandam adeo nihil conducere, ut potius discordiam et inutilia certamina provocarent. Attamen minime improbavit omnem rerum divinarum examinationem, et ne qvidem ipsius incarnationis, si modo eam, qvam monstraret, viam disqvirentes seqvi vellent. Monet nimirum, in qvæstione hac de re institutâ â terrestribus primum esse incipiendum indeqve sensim, qvasi per gradus, ad cælestia emergendum, ablegatqve rerum divinarum studiosos ad naturam humanam prius diligenter examinandam, qvibus monitis, similitudinibus pulcherrimis ornatis[74], ab ecclesiæ catho-

---

73) Comment. in Symb. § 4.

74) l. c.

licæ agendi ratione, rebus spiritualibus, qvasi manibus pro lubitu contrectari possent, permanentem, nec ullo modo commovendam speciem præbere studentis, alienum se exhibuit. Nec enim similitudinibus, e rebus terrestribus sumtis, notionem divinitatis omnino exhauriri duxit, cum eam sine exemplo esse, et in theoriâ incarnationis hoc præ ceteris cavendum asseruerit, ne carnalis nativitatis cogitationem assumamus[75]) etsi christus carnem naturæ humanæ atqve animam per spiritum sanctum susceperit.

§ 19.

De modo qvippe, qvo Christus natus sit, Rufinus disputans et in id inqvirens, qvomodo filius Dei e virgine gigni potuerit, animam Christo tribuit, ita ut non principaliter soli carni sociatus, sed animâ inter carnem Deumqve mediâ, generatus sit; hac enim mediâ et in se erecta rationabilis spiritus arce verbum Dei capiente, Deum ex virgine nasci potuisse statuit; et ideo nihil turpe ibi esse putandum, ubi sanctificatio spiritus inesset, et anima, qvæ Dei capax esset, particeps etiam carnis fieret. In his Rufinus cum aliis patribus ecclesiasticis omnino consentit, siqvidem Augustinus[76]); invisibilis inqvit, et incommutabilis veritas, per spiritum animam et per animam corpus suscipiens, toto homine assumto, ab omnibus eum infirmitatibus, nullâ sui contaminatione liberavit; alioqve loco[77]): verbum autem incommutabile, nihil in deterius

75) Comment. in Symb. n. 7. Apol. ad Anast. n. 3.

76) August. De Agone christ. cap. 18.

77) — Epist. 140. n. 12.

commutatum, particeps carnis effectum est, rationali animâ mediante. Et uterqve convenit cum Origene, qvi dicit, animam medium qvoddam esse inter carnem infirmam et spiritum [78]). His etiam congrua sunt antiqvorum Symbolorum effata; ita **Definit. Concil. Calced.** de persona Christi. — *θεον ἀληθως καὶ ἀνθρωπον ἀληθως τον ἀυτον εκ ψυχης λογικης και σωματος*, etc. **Symb. Athanas. n. 30.** *τελειος θεος, τελειος ἀνθρωπος εκ ψυχης λογικης και ἀνθρωπινης σαρκος ϐσιωθεις.* [*ἀυτος ἑαυτῳ συν τῳ συμφυει αυτϐ παναγιῳ πνευματι, δημιϐρησας την παναγιαν της σαρκος προςληψιν. Τελειαν ὀσίαν, ανθρωπὶνην, ἐνυποςατον αυτῳ και ἀδιαιρετον ἐξ ἀυτϐ, ἁμαρτίας ἀμεθεκτον. εκ των παρθενικων ἁγνων ἁιματων της θεομητορος συμπαγεντος τϐ σωματος, χωρις τινος θεληματος ἠ ἐννοεματος σαρκικϐ. Της δε ψυχης ἀϋλως κτίσθεὶσης, νοεμας, λογικης, θελητὶκης, ενὲργητίκης, ὁλης τεθεωμενης συν τῃ σαρκι, ἐξ ἀυτης ἀρχης, ἐκ πρωτης ὑπαρξεως, δια την προς ἀυτον τον θεον λογον ἀκραν ἑνωσιν, ἀσυγχυτον καθ᾽ υποςασιν*]. **Damasi confess, fidei cathol. anathematism. 7.** *Αναθεματιζομεν κακεινϐς, ὁιτινες ἀντι λογικης ψυχης δίίσχυριζονται ὁτι ὁ τϐ θεϐ λογος ἐςραφε ἐν τῃ ανθρωπινῃ σαρκι. ἀυτος γαρ ἑτος ὁ τϐ θεϐ λογος ἀντι της λογικης και νοερας ψυχης ἐν τῳ ἑαυτϐ σωματι γεγονεν, ἀλλα την ἡμετεραν, τϐτεςι, λογικην και νοεραν ἀνευ της ἁμαρτιας ψυχην ἀνελαβε και ἐσωσεν.* **Symb. Theodori Mopsvesteni** — *ὁτι ὁ δεσποτης θεος λογος ἀνθρωπον ἐιληφε Τελειον ἐκ σπερματος ὀντα Αβρααμ και Δαυιδ, κατα την διαγορευσιν των θείων γραφων, τϐτο ὀντα την*

78) *περὶ Αρχων* Lib. 2. cap. 8. p. 96.

φυσιν, ὁπερ ἡσαν ἐκεινοι ὡνπερ εκ σπερματος ἠν, ανϑρωπον τελείον την φυσιν, ἐκ ψυχης τε νοερας και σαρκος συνεςωτα ἀνϑρωπινης. Symbol. Pelagii — Sic autem confitemur in Christo, unam filii esse personam, ut dicamus duas esse perfectas atqve integras substantias, id est: Deitatis et humanitatis, qvæ ex animâ continetur et corpore, atqve, ut condemnamus Photinum, qvi solum et nudum in Christo hominem confitetur, ita anathematizamus Apollinarem et ejus similes, qvi dicunt, Dei filium minus aliqvid de humanâ suscepisse naturâ, et vel in carne, vel in animâ, vel in sensu adsumtum hominem, his, propter qvos adsumtus est, fuisse dissimilem, qvem absqve solâ peccati maculâ, qvæ naturalis non est, nobis confitemur conformem. Symb. Toletauum. Si qvis dixerit vel crediderit carnem tantum sine animâ â filio Dei fuisse susceptam, anathema sit. Qvid autem sibi velint hujusmodi sententiæ, ut videatur, notandum est, eas rationibus polemicis, qvas symbolum Pelagii innuit, provocatas esse; cui rei primam occasionem dedit Apollinaris, episcopus Laodicensis, cum receptam jamdudum ab antiqvis sententiam inculcaret, logon in Christo modo cum corpore humano et animâ sentiente conjunctum fuisse et locum mentis occupâsse. Sed observandum qvoqve est, hæc duo nomina, spiritum et animam non ut res diversas â patribus spectari, sed unius ejusdemqve animæ, videlicet rationalis, officia iis significari (cfr. qvæ supra ex Augustino et Origene allata sunt), spiritu enim, cev mente, intelligi volueruut partem animæ superiorem (νȣ̃ν), animâ vero, partem ejus inferiorem (ψυχην), qvæ in terrestribus humanisqve occupata versetur.

§. 20.

Qvod naturam Christi attinet, Rufinus cum ecclesiâ catholicâ contra Arianos unam ei eandemqve cum patre immortalem deitatis substantiam tribuit[79]), et hic ab Origene differt; ille enim, Dei patris et filii, qvi eandem non haberent hypostasin, unitatem in unâ concordia, consensione ac voluntatis identitate collocavit[80]); qvam moralem utriusqve harmoniam Rufinus non nisi obiter commemoravit[81]). Triplex mortis Christi consilium statuit, ut nobis qvippe obedientiæ exemplum piis etiam susceptâ morte servandum proponeret[82]); deinde, ut nos sangvine suo redi-

---

79) Comment. in. Symb. n. 5.
cfr. **Symb. Nicæn.** — *γεννηθεντα ἐκ τȣ πατρος μονογενη, τȣτεϛιν, ἐκ της ȣ̓σιας τȣ̃ πατρος, θεον ἐκ θεȣ, φως ἐκ φωτος, θεον ἀληθινον ἐκ θεȣ ἀληθινȣ, γεννηθεντα ȣ̓ ποιηθεντα ὁμοȣσιον τῳ πατρι.* Similiter Symbolum Constantinnpolitanum. **Definit. Cancil. Calcedon. de personâ Christi:** *ὁμοȣ́σιον τῳ πατρι κατα την θεοτητα και ὁμοȣσιον τον αυτον ἡμιν κατα την ἀνθρωποτητα.* Formula Selevsiensis: *το δε ὁμοιον τȣ̃ ὑȣ προς τον πατερα σαφως ὁμολογȣμεν κατα τον αποϛολον, τον λεγοντα περι τȣ ὑȣ, ὁς εϛιν ἐικων τȣ θεȣ τȣ ἀορατȣ.* **Symb. Pelagii:** — verum Dei filium, non factum, aut adoptivum, sed genitum et unius cum patre substantiæ, qvod Græci dicunt *ὁμοȣσιον.* **Symb. Theod. Mopsvesteni:** *πιϛευομεν δε και εις ἑνα θεȣ ὑον μονογενη, εκ της ȣ̓σιας ὀντα της πατρωας, ὀντως ὑον καῖ της αυτης ȣ̓σιας ὀντα, ὁπερ εϛι καὶ πιϛευεται ὑος.*

80) Origen. cont. Cels. Lib. 8. num. 12 et 13. p. 750 et 751.

81) Comment. in Symb. n. 6.

82) l. c. n. 14 et 15.

meret[83]); deniqve, ut nos ex imperio dæmonum eriperet[84]); neqve hac in re seqvutus est Origenem, qvi quantum ecqvidem scio — consilium Christi mortis cum dæmonologiâ nusqvam conjunxit, nec de morte illius aliud tradidit, qvam qvod pro hominibus moriendo omni creaturæ esset profuturus[85]), vim autem Jesu nominis piâ mente pronuntiati ad dæmones in fugam conjiciendos sufficere credidit[86]), qvin immo, ab ipsis piis christianis dæmonum impetus repelli irritosqve reddi posse[87]); qvod igitur exiguum dæmonum imperium continuari statuit[88]), Rufinus morte Christi eversum putavit, qvâ in re Augustinus cum Rufino eatenus consentit, qvod non dæmonum, sed diaboli potestatem morte Christi sublatam commemoravit; namqve ex ejus sententiâ Diabolus ab eo inde tempore, qvo feminam primam decepit, totum genus humanum tanqvam suæ arboris fructus non iniqvo possidendi jure retinuit, donec justum interfecit, in qvo nihil morte dignum posset ostendere. Justissime igitur credentes in Chris-

83) Apolog. Lib. 2. n. 44.

84) Comment. in Symb. n. 6.

85) Origen. c. Cels. Lib. 1. n. 54. p. 369. et lib. 2. n. 23. p. 408.

86) Orig. c. Cels. l. 1. n. 6. p. 325.

87) l. c. Lib. 8. n. 35 et 37. p. 768 et 769.

88) Origenes duplicem malorum dæmonum in homines operationum speciem amplexus est, cum aut totam hominis mentem occuparent et ad insaniam redigerent, aut cum sentientem qvidem et intelligentem animum cogitationibus variis et sinistris persvasionibus inimicâ suggestione depravarent cfr. περὶ Ἀρχῶν Lib. 3. cap. 3.

tum, qvem injustissime occidit, dimittere coactus est[89]. Descensum Christi ad inferos, qvæ verba nec in Romano, nec orientali inveniuntur, in symbolo Aqvileiensi Rufiniano addita esse, supra in § 15 commemoratum est; cui formulæ incremento occasionem præbuisse Arianos qvosdam et Apollinaristas, qvi mentem Christo subtraxerunt, animâ sentiente concessâ, ita ut vices mentis divina ipsa natura obiisset, docti pleriqve theologi crediderunt inde ab Amando Polano (Syntagm. Theol Chr. L. 6. c. 21. p. 742—747. edit. Francof. et Hanov. 1655), qvi hanc sententiam primus breviter proposuit, et Petro King, qvi in Historiâ symboli apostolici eam fusius explicavit; Sed recentissimis temporibus Münscher (Handb. der christl. Dogmengesch. IV. p. 412.), Neander (Allgem. Gesch. der christl. Rel. u. K. 2. p. 923. n. 1.) ac nuperrimê Waage in dissertatione suâ, de ætate articuli, qvo in symbolo apostolico traditur Jesu Christi ad inferos descensus (edit. Havniæ 1836), hypothesin istam in dubium vocare et refellere aggressi sunt; qvorum hic, variis undiqve argumentis hunc in finem adductis, ostendit, de descensu Christi ad inferos articulum nec ab omnibus patribus ad Apollinaristas refutandos adhibitum esse, cum a clarissimis illorum, Gregoriis qvippe Nazianzeno et Nysseno, Chrysostomo, Augustino, neglectus sit, nec â qvibus allatus sit, maioris qvam cetera argumenta haberi, qvippe cui hoc nomine singularis aut peculiaris vis nunqvam adscripta fuerit; monuit qvoqve ne tum qvidem primum hunc articulum symbolo insertum esse, sed ante jam passim, qvemadmodum diu etiam postea non

89) August. de libero Arbitrio Lib. 3. n. 31.

possit per universam ecclesiam receptus esse dici. Kingius autem ad hypothesin istam amplectendam eo delatus est, qvod hic articulus in expositione Symboli apostolici Rufiniana sub finem seculi qvarti conscriptâ legeretur; et cum Rufinus n. 18. verba: descendit ad inferna, nec in ecclesiæ Romanæ, nec in orientis ecclesiarum symbolis haberi testaretur, cumqve hujus additamenti causam ad ea, qvæ Rufinus in n. 3. de additamentorum origine monuerat, relatam, in lite aliqvâ ecclesiastica ad hæresin arcendam, sibi fingeret qværendam esse, lis apollinaristica, qvæ tunc temporis ecclesiam perturbabat, ad rem enodandam opportuna illi visa est. Sed Kingius et qvi hanc hypothesin ex effatis Rufini cum eo elicere studuerunt, aut, qvi eam impugnantes ad vagam Rufini nec magni æstimandam in rebus tradendis fidem provocare necessarium duxerunt, plus verbis illius, qvam iis revera inest, indidisse videntur. Primum enim observandum est, qvod in hac re gravissimi momenti esse, nemo facile negabit, Rufinum, articulum de descensu Christi ad inferos ad hæresin aliqvam arcendam symbolo Aqvileiensi additum, ne uno qvidem verbo indicâsse; in num: qvidem 3. Romanæ ecclesiæ symbolum additamentis ideo carere commemoravit, qvod hæresis nulla illic exordium sumsisset, sed hæc in universum omnino, idqve recte, monita sunt, cum consilio polemico incrementa symbolorum originem suam plerumqve debeant, neqve tamen ad hanc causam, Symboli Romani simplicitatem, unice restrinxit, namqve subinde mox aliam addidit, scilicet publice et populo audiente symbolum reddere; verba igitur hujus loci non impediunt, qvominus ad harum neutram, sed ad aliam

aliqvam causam articulus sæpe nominatus Symbolo aqvileiensi additus referatur, præsertim cum tempus, qvo in illud irrepserit, silentio omnino præterierit. Nec illud magis fidem Rufini in hac re dubiam reddere videtur, qvod hunc articulum in Romano et orientis ecclesiarum symbolis inveniri negavit, cum nec de aliis, qvam qvæ ipse recitavit, symbolorum formis loqvatur, nec ad aliarum ecclesiarum symbola verba sua extendat.

Utcunqve res se habet, multi patres antiqvi in his definiendis articuloqve de descensu Christi ad inferos enucleando, duobus Novi Testamenti locis notissimis[99]) innixi desudabant*), qvorum dum alii alio Christum consilio ad inferna descendisse putarent, Augustinus mortuos aliqvos â doloribus liberandi causa animam ejus illuc venisse statuit; utrum vero omnes, qvos ibi invenerit, an qvosdam, qvos illo beneficio dignos judicaret, e poenis eripuerit, definire non ausus est, nemine, qvi in horum numero habendus sit, nominato præter Adamum, qvem inde â Christo solutum fuisse totam ecclesiam affirmare

---

99) Ephes. 4, 9. 1 Petr. 3. 19—20.

*) alii descensum Christi ad statum exinanitionis alii ad statum exaltationis retulerunt, nec minus in iis definiendis, qvibus hæc evangelii prædicatio cum liberatione ex inferno conjuncta contigerit fluctuârunt, ita Tertull. in Libro de animâ cap. 7 et 55 salutem e descensu Christi oriundam ad prophetas et patriarchas solos restrinxit; ii autem, qvi omnes esse liberatos ex inferno asseruerunt, in hæreticorum numerum seculo 4to relati sunt. cfr. August. haer. 79.

tradidit[91]); omnium autem primus Origenes hoc dogma excoluit, statuens, animam Christi postqvam corpore exuta erat, ad inferos descendentem, cum animabus corpore nudis, colloqvia habuisse, et eas, qvæ voluerint, aut qvas certis qvibusdam rationibus sibi notis videret ad argumenta sua amplectenda magis idoneas, ad se convertisse[92]). Hic qvoqve Rufinus magistrum relinqvens, per descensum illum Christi ad inferos nil nisi sepulturam significari voluit, qvæ, utrum sanitate judicii ductus monuerit, an metu, ne doctrina de animabus mortuorum a Christo conversis et a doloribus liberatis, ad æternitatem poenarum refellendam aliqvid facere videretur, aliis judicandum relinqvo. Christum vere mortuum esse, vereqve resurrexisse cum Origene æqve ac ecclesiâ catholicâ affirmavit[93]); sed in eo ab Origene discrepat, qvod in eadem ipsâ carne, qvæ deposita fuerat, Christum post resurrectionem in coelos ascendisse statuit[94]). Sufficiat monuisse Rufinum cum ceteris patribus, perpetuam Mariæ virginitatem, sacræ

91) August. epist. 164. n. 6. 7. 8. cfr. etiam epist. 187 n. 4 etc.

92) Orig. c. Cels. Lib. 2. n. 43. p. 419.

93) Comment. in Symb. n. 7.

94) Origenem statuisse, Christum post resurrectionem, corpus aëreum, sev spirituale, nactum esse, ex Hieron. Epist. 38 ad Pammachium apparet, et e doctrinâ ejus de carnis naturâ seqvitur. Ceterum sane mirum videtur, Dochetarum sententiam non amplexum esse, qvi apparens corpus Christo tribuerunt ideoqve verè mortuum esse negârunt.

scripturæ locis perperam applicatis, vindicare aggressum esse*).

§ 21.

Qvemadmodum historica Dei revelatio religionis positivæ fundamentum efficit, sic etiam persvasio de spirituali cum Summo numine consortio ad qvamcunqve religionem pertinet; cujus propriam religioni christianæ formam fides in Spiritum Sanctum exprimit; ille enim virtutem et pios conatus in ecclesia promovens, Dei amantes ad sanctitatem spiritualemqve cum Deo communionem perducit; qvamdiu igitur mutuus inter hanc doctrinam ac desiderium religiosum nexus primos christianos occupatos tenebat, in relatione spiritus sancti ad ecclesiam sanctitati studentem, salutaribusqve ejus in coetu christiano operationibus contemplandis acqvieverunt, at rebus theologicis ad forum speculativum traductis, prouti notiones dissecari et accuratius distingvi cæptæ sunt, a munere atqve beneficiis Spiritus Sancti considerandis, ad naturam ejus examinandam disputatio sese convertit, unde dogma de trinitate conflatum est. In hoc dogmate enucleando, Rufinus ad terminos ab ecclesià catholicà receptos prope accessit, trinitatem in subsistentibus personis admittens, unitatem in naturà atqve substantià, et ad distingvendas

*) Comment. in Symb. n. 10 et 11. loca scripturæ sacræ ibi applicata, sunt: Esai. 7. 14. Ezech. 44. 1. Matth. 1. Luc. 1. 3. cfr. qvoqve Hieron. Libr. adv: Helvid. n. 3—19. Epiph. Hæres. 78. p. 1055. Ambros. De institutione virginis.

personas vocabula adfectionis ita secrevit, ut pater, ex qvo omnia essent, filius, qvi ex patre natus esset, et Spiritus Sanctus, tanqvam de utroqve procedens intelligeretur[95]); qvæ fere eadem verba antiqva symbola exprimunt; nempe: Symb. **Athanas.** n. **24:** *και ἐν ταυτῃ τῃ τριαδι ὀδεις πρωτος, ἠ ἐσχατος, ὀδεις μεγας ἠ μικρος, ἀλλα ἁι τρεις ἁυται ὑποςασεις ἀιωνιαι τε ἐισι και ἰσαι ἐις παντα.* et n. **25.** *μοναδα γȣν ἐν τριαδι, και τριαδα ἐν μοναδι πας χριςιανος ἐυσεβεσϑω.* **Damasi** confessio fidei catholicæ, anathematism. **20.** *ἐι τις μη ἐιπῃ τȣ πατρος και τȣ ὑιȣ και τȣ ἁγιȣ πνευματος μιαν ϑεοτητα, ἐξȣσιαν, δυναςειαν, μιαν δοξαν, κυριοτητα, μιαν βασιλειαν, μιαν ϑελησιν, και ἀληϑειαν, ἀναϑεμα ἐςω.* Symb. **Theodori Mopsvestini:** *ὁμολογȣμεν δε πατερα τελειον προσωπῳ και ὑιον ὁμοιως και πνευμα ὡσαυτως. σωζομενȣ τȣ λογȣ της ἐυσεβειας ἡμιν, τῳ πατερα και ὑιον, ὁμοιως και πνευμα ἁγιον μη τρεις τινας διαφορȣς ὀσιας νομιζειν, ἀλλα μιαν τῃ ταυτοτητι της ϑεοτητος γνωριζομενην.* Symb. Pelagii: Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, vel, ut Græci exprimunt, hypostases, hoc est: subsistentias confitemur — itaqve substantiâ unum sunt, personis ac nominibus distingvuntur. Symb. **Toletanum:** credimus in — hanc trinitatem, personis distinctam, substantiâ unitam, virtute et majestate invisibilem, indifferentem. His symbolorum de Trinitatis dogmate effatis, alii etiam patres ecclesiastici consentiunt; ita Augustinus, trinitatem esse unius ejusdemqve naturæ atqve substantiæ testatur, non in singulis minorem qvam in

---

95) Apolog. ad Anastas. n. 2.

omnibus, nec majorem in omnibus, qvam in singulis, sed tantam in solo patre vel in solo filio, qvanta in patre simul et filio, tantamqve in solo spiritu sancto, qvanta simul in patre et filio et spiritu sancto sit[96]. Qvemadmodum vero Rufinus hoc dogma amplexus est, ita nunqvam concessit, Origenem hac de re aliter sensisse, si usqvam in libris ejus alius fortasse sensus occurrere videatur[97]. Qvamvis autem Origenes Spiritum sanctum passim commemoratum ita definierit, ut sit subsistentia intellectualis, qvæ propriè subsistat et exstet[98], nec non dotrinam de filio Spirituqve sancto subtilius, qvam antea factum erat, excolendo, viam trinitatis dogmati enucleando munierit, datâ tamen illum operâ de trinitate in libris suis egisse nusqvam reperi; nec mirum, cum, si fides habenda est versioni Rufinianæ, — solam trinitatem esse contendat, qvæ omnem intelligentiæ sensum, non solum temporalis, verum etiam æternalis excedat[99], qvibus cum effatis æqve ac fide catholicâ non facile conciliari poterit, qvod ampliorem filii potestatem, qvam Spiritus Sancti esse

---

96) August. epist. 170. n. 5.

97) Apol. Lib. 1. n. 20. Qvatuor, ait, libri sunt isti ɔ: περὶ Ἀρχῶν, qvos interpretatus sum, in qvibus de Trinitate sparsim per singulas pene paginas disputatur. Relegantur universa, si usqvam talis aliqvis de Trinitate inventus fuerit in interpretatione nostrâ sensus, qvalem in isto capite calumniantur, tum demum credatur, etiam hoc, eo sensu, qvo isti confingunt, esse prolatum.

98) περὶ Ἀρχῶν lib. 1. c. 1. n. 3. p. 50.

99) — — lib. 4. n. 28. p. 190.

statuit[100]); unde Epiphanius Origenianos[101]) reprehendit, qvod filium et Spiritum sanctum κτίσμα appellarent creatisqve in rebus illos numerarent[102]).

---

100) Præter locum supra allatum e περι Ἀρχων L. 1. c. 3. n. 5. p. 62, qvi huc fortasse trahi posset, qvem tamen magis de diverso personarum Deitatis munere, qvam potestatis discrimine agero putamus, cfr. etiam Origen. Comment. in Johann. op. Vol. 4. p. 60.

101) Cavendum utiqve est, ne Origenis Adamantii discipuli, indeqve nomen Origenianorum adepti, cum aliâ sectâ ejusdem nominis, sive Origenianis prioribus, confundantur, qvi, Epiphanio teste, varios veteris ac Novi Testamenti libros apocryphos amplexi sunt (ex. c. Actus Andreæ), nuptias repudiârunt, et obscenis libidinibus sese inqvinârunt cfr. Epiphan. Advers. Hæres. Lib. 2. Tom. 1. hæres. 63. p. 521.

102) Epiphan. adv. Hæres. Lib. 2. T. 1. p. 398. cfr. etiam Hæres. 64. p. 531. qvi locus ita audit: ὁπότε δέ ἐν πολλοῖς τόποις εὕρομεν ἀυτόν τὸν μονογενῆ Θεὸν ἀπαλλοτριȣ̃ντα τȣ πατρὸς θεότητός τε καὶ ȣ̓σίας, ὁμȣ̃ τε καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τȣ́τȣ χάριν τσ γεννητὸν Θεὸν εἰρηκέναι ἀυτὸν, σαφές ἐςιν, ὅτι κτιςὸν ὁρίζεται. — Sed Epiphanius philosophicum hujus dogmatis momentum ab Origene primum enucleatum perperam intellexit. Qvemadmodum enim mundum inde ab æterno creatum putavit, ita filii æternam et sempiternam generationem admisit, splendoris in modum, qvi e luce gignitur. efr. περι Ἀρχῶν L. 1. c. 2. n. 4. p. 55. eoqve modo omnem illam mutationis notionem â Deo removit, qvæ ex antiqviorum sententia seqvebatur, logon ad mundum creandum e Deo qvasi prodiisse, ita ut λογος ἐνδιαθετος in προφορικον verteretur.

§ 22.

Sanctitatis idea, qvæ in Christo visibili modo apparuit, in ecclesiam ejus transiit ut scopus, ad qvem tendere deberet. Rationibus vero historicis, animos â genuinâ religionis christianæ indole ad externas formas muniendas avocantibus, sensim factum est, ut idea ecclesiæ cum reali ejus statu magis magisqve confunderetur; qvæ utriusqve hujus notionis perturbatio in sententiâ istâ; extra ecclesiam nullam esse salutem, luculentissimè expressa est; qvam duram et humanitati infestissimam sententiam patres complures auctoritate suâ munierunt[103]) et, qvo societates hæreticorum e consortio christianorum excludi possent, in illis difiniendis[104]) et certis veræ ecclesiæ chri-

103) Hieron. Epist. 22. 23. 109.

104) Hieron. Comment. in Epist. ad Gal. c. 5. p. 508. omnes eos hæreticorum nomine notavit, qvi sacram scripturam aliter intelligerent, qvam sensus Spiritus sancti flagitaret. Augustinus, hæresin definire omnino difficile esse affirmavit. Epist. 222. p. 622. ideoqve negativam modo hæreticorum descriptionem nobis reliqvit. Eos qvippe, qvi sententiam suam, qvamvis falsam atqve perversam, nullâ pertinaci animositate defenderent, et præsertim, qvam audaciâ præsumptionis suæ non peperissent, sed â seductis atqve in errorem lapsis parentibus accepissent, qværerent autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, inter hæreticos dicit non esse habendos cfr. Aug. Epist. 43. p. 67. ille etiam inter hæreticos et schismaticos discrimen fecit cfr. De verâ Religione n. 9. p. 560. Patres qvoqve in notione hæresis constituendâ fluctuâsse, inde apparet, qvod in enumerandis hæreticis multum inter se differunt, ita Epipha-

stianæ criteriis excogitandis desudabant. Rufinus qvoqve hac in re aliqvid præstare voluit. Etsi enim pro eâ animi mansvetudine, qvæ e scriptis ejus passim elucet, hæreticos odio non perseqveretur, nec ab eo ipse procul abesset, qvin eorum numero adscriberetur, ecclesiæ tamen sanctæ definiendæ patrocinium suscepit eamqve criteriis negativis et positivis ab aliis societatibus distinxit[105]; qvorum illa in eo continentur, qvod enumeratos notissimorum hæreticorum errores fugiendos asseruit; hæc in sanctitatis notione uberius explicatâ; sanctam vero ecclesiam idem ait significare ac ecclesiam Deo congregatam, in qvâ nempe una sit fides et unum baptisma, qvæ Deum patrem omnipotentem et unicum filium ejus Jesum Christum dominum nostrum, et Spiritum Sanctum concordi et consonâ substantiæ ratione profiteatur. Qvæ qvidem à Rufino recte monita sunt, qvatenus illam persvasionem eloqvuntur, religionem Christianam Dei ritè colendi viam monstrare; hanc vero notam ecclesiæ distinctivam deinceps confundit cum ideali ecclesiæ statu eoqve fine, ad qvem tendere debet, cum per sanctam intelligi velit ecclesiam, qvæ non habeat maculam aut rugam; apparet autem hanc ecclesiæ sanctæ descriptionem illâ longe latius patere, cum professio oris agendi rationem necessario non complectatur, et incertis viis vagari, omni inter theoretica

---

nius 80 hæreses commemoravit, at Philastrius Brixiensis, Augustino teste, 156 cfr. Aug. epist. 222. p. 622. Nec usqvam Epiphanius, de hæreticis agens, descriptionem illorum dedit.

105) Comment. in Symb. n. 39.

et practica criteria, idealem et realem ecclesiæ statum, discrimine sublato. Rectius utiqve Augustinus consummatam ecclesiæ perfectionem hac in vitâ contingere non posse, disertis verbis monuit[106].

§ 23.

Qvamvis autem Rufinus in sanctâ ecclesiâ describendâ, de statu ejus reali cogitâsse videatur, nullam tamen harum notionum applicationem in ecclesiam catholicam fecit, de cujus auctoritate nec usqvam fusius disputavit; qvin immo ne uno qvidem verbo peccata ab ecclesiâ remitti posse commemoravit, hanc potestatem ad solum Deum referens. Nonnullæ qvidem operum Rufini editiones reperiuntur, qvæ in expositione Symboli apostolici num. 39. vocem catholicam post sanctam ecclesiam habeant, sed nec in libris scriptis invenitur, nec eam Rufinus, qvi nullam Symboli particulam sine explicatione reliqvit, uno qvidem verbo exposuit. Præterea in primævâ symboli formulâ hanc vocem non fuisse, indicare videtur Augustinus, qvi in libro de Fide et Symbolo, primum dicit sanctam ecclesiam, deinde addit ipse: utiqve catholicam. Memoratu qvoqve dignum est, qvod Rufinus præpositionem *in* ante sanctam ecclesiam ad divinas ab humanis rebus distingvendas, omissam esse retulit; qvod discrimen, qvo luculentius appareret, Græci recentiores, verbum *πιϛευω* ante *την ἁγιαν ἐκκλησιαν* repetierunt. vide King. hist. Symb. Apost. p. 272. At locus, qvi huc trahi potest, et qvo aliqvid verè catholicum de clero et ejus

106) August. Retractat. Lib. 1. cap. 7 et 19. Lib. 2 cap. 18.

imperio dixisse videtur, est in Historiâ illius ecclesiasticâ Lib. 1. cap. 2., ubi imperatorem Constantinum in concilio Nicæno tantam auctoritatem sacerdotibus tribuere facit, ut vel ipsos reges judicare valeant, ipsi vero ab hominibus judicari neqveant; et sane sensum imperatoris omnino pervertit, cujus verba, teste Sozomeno, longe alium sensum exhibent; minime qvippe decere sacerdotes (rixari enim in concilio cæperant) sese tales præbere, ut ab hominibus judicandi essent; nec aliis causas et controversias ecclesiasticas, qvam episcoporum judiciis submittendas esse.

§ 24.

Venimus nunc ad eum fidei articulum, in qvo Origenes qvam maximè ab ecclesiâ catholicâ discrepâsse creditur, ad carnis dico resurrectionem, qvam, cum poenæ loco mortalibus adhæreret, in aëreum corpus abituram esse statuit. Patres vero alii ecclesiastici, cum animas non immortales esse censerent, nisi redditis e terræ sinu corporibus[107]), identitatem carnis resurrecturæ qvocunqve modo vindicare studebant; ideoqve Hieronymus, gravissimus orthodoxiæ ecclesiasticæ vindex, vehementer Rufinum increpavit, qvod hos Origenis pestiferos errores, libris περι Ἀϱχῶν latio reddendis, in vulgus sparsisset; qvo factum est, ut Rufinus ad symbolum aqvileiense se mox reciperet et in hoc articulo se ad fidem ecclesiasticam tantoperè accommodaret, ut non solum carnis, sed hujus etiam carnis resurrectionem concesserit; nec eo

107) cfr. Clausen De Platone p. 127. Tertull. lib. de animâ

contentus, naturam hujus carnis commemoraverit, ne membris qvidem resurrecturis integritatem suam defuturam esse dicens[108]. Si hæc effata cum principiis doctrinæ Origenianæ comparantur, sane mireris, utraqve ex unius ejusdemqve Rufini calamo proficisci potuisse, nec usqvam alibi tantoperè fluctuâsse videtur. Attamen rem accuratius intuiti mitius fortasse de illo judicabimus. Qvi enim observavit, qvam fideliter memoria eorum, qvæ juveni traduntur, senem venerabunda comitari soleat, ei non erit miraculo, Rufinum, si vel ipsa persvasio mutata fuisset, in hoc dogmate exponendo, formulam Symboli Aqvileiensis secutum esse; præterea ipse qvoqve Origenes resurrectionis doctrinam plurimis difficultatibus laborare concesserat[109]) et, secundum Versionem Rufini, aliqvando de identitate corporum resurrecturorum loqvutus fuerat, etsi hoc (conditionaliter alioqve sensu proposuerit[110]);

---

cap. 7. nihil enim (est anima) si non corpus.

108) Apol. Lib. 1. n. 6 et sqq. Comment. in Symb. n. 39 et 42. Apol. ad Anastas. n. 4.

109) Origen. c. Cels. Lib. 7. n. 32. p. 716. *Τον περὶ της ἀναςάσεως λογον πολὺν ὄντα καὶ δυσερμηνεύτον, καὶ δεόμενον σοφυ, ἔιπέρ τι ἄλλο των δογματων, καὶ ἐπὶ πλεον διαβεβηκότος.*

110) *περὶ Ἀρχῶν* Lib. 2. c. 10 p. 101. verba versionis Rufinianæ hæc sunt: nam, si resurgunt corpora, sine dubio ad indumentum nostri resurgunt, et, si necesse est, nos esse in corporibus, sicut certè necesse est, non in aliis, qvam in nostris corporibus esse debemus. Hæc verba nonnulli ita intellexerunt, ac si Origenes identitatem carnis resurrecturæ docuisset, idemqve e fragmentis liborum ejus De resurrectione, qvæ supersunt, probare voluerunt, cum in iis plura reperiantur, qvæ ad resurrectionem carnis

deniqve Rufinus, hanc qvidem carnem resurrecturam esse contendit, sed purgatam et corruptionis expertem, immo — ut ipsius verbis utar — cui nihil omnino de omni naturâ suâ desit, nisi sola corruptio. Hæc vero effata inter se conciliari nullo modo possunt; caro enim fragilitatis notionem ubiqve involvit, ademptâqve corruptione, non amplius caro est. Et certe plura sunt, qvæ suspicionem moveant, Rufinum hæc de identitate carnis resurrecturæ non tam persvasione, qvam metu ductum pronuntiâsse, imprimis, qvod hac de re agens, spiritualem carnis istius

---

trahi possint. Sed qvod locum citatum attinet, primum observandum est, græca et genuina Origenis verba non haberi, deinde, alius omnino est verborum sensus, nec enim de identitate corporum luqvitur, sed de corporibus nostris; qvemcunqve qvippe in resurrectione corpus, sive indumentum (organon) aliqvod, naturæ ipsius qvam maximè congruum nacturum esse pusavit, ita ut suum in eo corpus agnoscat, individualiti suæ optimé respondens. Fragmenta vero ista librorum De resurrectione, qvæ pro carnis resurrecturæ identitate facere videntur, ex apologiâ Pamphili pro Origene desumta sunt, qvi cum Origenem a suspicione hæreseos vindicare studeret, doctrinam ejus, qvantum fieri potuit, ad fidem ecclesiasticam accommudavit ac simul peculiarem ejus indolem abstulit. Nec Origenem carnis resurrecturæ identitatem, docuisse cum plurimi scriptorum ipsius loci ostendunt doctrinæqve principia, tum etiam adversariorum, Methodii, Epiphanii, Hieronymi, accusationes, qvi eum doctrinam de mortuorum resurrectione omnino negâsse contenderunt. cfr. Epiph. adv. Hæres. L. 2. T. 1. p. 398. 533 et sqq.

naturam datâ operâ ubiqve inculcat, nec adeo suam de hoc dogmate fidem, sed multo magis harmoniam eorum, qvæ ipsi in baptismo Aqvileiæ suscepto tradita fuissent, et qvæ à sede apostolicâ traderentur, commemorat[111]). Hanc meam de persvasione Rufini sententiam illud fortasse refutare videbitur, qvod in fine Apologiæ ad Anastasium: Ego autem, inqvit, præter hanc fidem, qvam supra exposui, id est: qvam ecclesia romana, et Alexandrina et Aqvileiensis nostra tenet, qvæqve Hierosolymis prædicatur, aliam nec habui unqvam, nec habebo etc. Sed observandum est, Rufinum supra indolem carnis resurrecturæ spiritualem ita descripsisse, ut hanc salvâ conscientiâ persvasionem suam esse declarare potuisset, si corpus aëreum fore credidisset; deinde etiam fidem suam in fine Apologiæ in universum commemorat, at in num. 5. in eos anathematis fulmen conjecit, qvi diabolum æternis supliciis plectendum esse negarent, nullâ hujus in articulo de carne resurrecturâ mentione factâ; qvare anathema in fine apologiæ positum, ad illos proximè pertinet, in qvos supra applicatum fuerat, nec adeo ad aliter de resurrectione sentientes referendum est.

§ 25.

Qvod poenas æternas attinet, ab Origenis sententiis se omnino alienum declaravit, statuens Diabolum et omnes impios æternis supliciis esse plectendos[112]).

---

111) Apol. Lib. 2. n. 47 et Apol. ad Anast. n. 4.
112) Apolog. ad Anastas. num. 5.

§ 26.

De animarum origine varias varii patres antiqvi sententias amplexi sunt. Origenes, ut supra dictum est, (§ 8) cum Pythagorâ philosopho Platonicisqve agens, qvi de coelo lapsas putaverunt, animas corporibus antiqviores esse statuit; alii, ut Stoici, Manichæi Priscilianiqve sectatores e propriâ Dei substantiâ factas suspicabantur; alii, nominatim Tertullianus, Lactantius, Apollinaris et maxima pars occidentalium, per humani seminis traducem animam qvoqve diffundi autumabant, ut, qvemadmodum corpus e corpore, sic anima nasceretur ex animâ et simili cum brutis animantibus conditione subsisteret; alii, ut Hieronymus et Augustinus, Deum qvotidie animas creare ac nascentibus qvasi infundere dixerunt[113]; qvorum ille qvosdam ecclesiasticos reperiri asseruit, qvi animas in Dei thesauro aliqvo haberi, olim conditas arbitrarentur[114]. Nullam certam hac de qvæstione sententiam Rufinus amplexus est, sed hoc unicè tenuit, Deum esse animarum et corporum creatorem[115]; et hic ea judicii Rufini sanitas laudanda est, qvod hanc doctrinam, qvam Hieronymus in re ecclesiasticâ maximi momenti esse judicavit[116], pro fidei articulo non habuit, et, qvod ea sæpius, qvæ ad fidem propriè non pertinere videret, qvando de iis fidem pronuntiandam ecclesia postulabat, qvam maximè potuit ad indolem biblicam revocavit, foroqve disqvisitionis re-

113) August. Epist. 166. Hieron. epist. 165.

114) l. Hieronymi citato.

115) Apol. ad Anastas. n. 5.

116) Hieron. l. c.

licto, usum eorum practicum indicare studuit. — Tripartitam animæ virtutem esse voluit, sive tres esse species motus ejus, per iram, per cupiditatem, per rationem[117]), cum philosophis agens, qvi tres in animâ humanâ passiones esse dixerunt, *Τὸ λογίκὸν* (rationabile), *Τὸ Θυμίκὸν* (qvod iræ respondet), *Τὸ ἐπιθυμητίκὸν* (concupiscentia); qvam tamen animæ divisionem Origenes à scripturâ sacrâ non valde confirmari asseruit[118]), aliiqve patres admittere recusârunt; dum enim Tertullianus, hac in re qvasi fluctuans, varias philosophorum sententias enumerat[119]), Augustinus qvatuor animi perturbationes, cupiditatem qvippe, lætitiam, metum, tristitiam admisit[120]).

§ 27.

Sententias Rufini de animâ humanâ examinantibus, ea se nobis qvæstio offert, qvodnam ei cum dogmatibus Augustini et Pelagii commercium intercesserit et qvo jure huic prælusisse dici possit? — Origenem in scriptis suis libertatem arbitrii humani ubiqve vindicâsse supra in § 8 commemoratum est. Sed, cum culpam hac vitâ prius contractam admitteret, peccatum aliqvod originale cum Augustino amplexus esse, primo qvidem aspectu videri posset, si vero rem accuratius intuemur, ex hac ipsâ apparente

---

117) De Benedict. Patriarch. Lib. 2. n. 3.

118) Orig. περι Αρχῶν Lib. 3. c. 4. n. 1. p. 146.

119) Tert. De animâ c. 14. Dividitur, autem, inqvit, nunc in partes duas à Platone, nunc in tres à Zenone, nunc in qvinqve et in sex à Panætio, in septem a Sorano, etiam in octo penes Crysippum etc.

120) cfr. August. Confess. Lib. 10 c. 15.

similitudine, summa utriusque doctrinæ diversitas ac dissimilitudo patebit; ideo qvippe Origenes culpam animarum præexistentium docuit, qvo ostenderet, qvemcunqve esse suæ fortunæ fabrum, cui nec aliena culpa imputaretur, nec nisi ea, qvæ aliqvando ipse fecisset; pro suis enim actionibus omnes æqvè judicari statuit, et, qvod relationem de lapsu Adami attinet, ad describendam naturæ humanæ conditionem dictam putavit[121]). Qvemadmodum autem de peccato Adami posteris imputando ne cogitavit qvidem, sic etiam *ἀναμάρτησίαν* hominis, strictiore, ut ita dicam, sensu, admisit; fatetur qvippe, impossibile esse, hominem ab initio non peccare — verisimiliter ob mysterium nativitatis cum præexistentiâ animarum cohærens[122]); — eos tamen, etsi raros, reperiri, qvi per verbum divinum conversi non amplius peccent; nam ad efficienda ea, qvæ difficillima nobis et prope impossibilia videantur, voluntatem cum exercitatione conjunctam magni momenti esse statuit, hominesqve, qvando velint, pravitatem suam, qvantalibet antea fuerit, vincere et virtutem in vivendo con-

---

121) Orig. c. Cels. L. 4. n. 40. p. 535.
καὶ γαρ ἐν τῳ Ἀδαμ (ὥς φησιν ὁ λόγος) παντες ἀποθνήσκουσι και κατεδικασθησομεν ἐν τῳ ὁμοιώματι της παραβασεως Ἀδαμ. οὐχ οὕτως περὶ ἑνος τίνος, ὡς περί ὅλου τοῦ γενους ταυτα φασχοντος τοῦ Θείου λογου, και γαρ εν τῇ των λεγομενων ὡς περί ἑνος ακολουθίᾳ ἡ αρα τοῦ Ἀδάμ κοίνη παντων ἐςί.

122) Omnes loci scriptorum Origenis, e qvibus doctrinam de peccato originali erui posse credideris, ex. gr. Tract. 9 in Matthæum et Homil. 14 in Lucam, de mysterio nativitatis, cum præexistentiâ animarum cohærente, explicandi sunt.

sectari posse [123]). Nec tamen gratiam divinam à piis conatibus adjuvandis exclusit [124]). Has ideas, qvæ omnia Origenis scripta permeant, Rufinus ut interpres per occidentem propagavit; librum qvoqve Evagrii [125]) περὶ ἀπαθειας et Sexti [126]) sententias e græco in latinum sermonem transtulit, qvorum illum æqve ac Rufinum, qvasi Origenis asseclas et præcursores Pelagii Hieronymus exagitavit, qvippe qvi hæresin Pythagoræ et Zenonis ἀπαθείας et

123) Orig. c. Cels. L. 3. n. 62. p. 448 et n. 69. p. 493.

124) — Lib. 3. n. 7. p. 494.

125) De Evagrii scriptis cfr. Gennadium de Scriptorib. ecclesiast. cap. 11. p. 85. Qvæ Rufinus ex iis transtulit, hæc sunt: Liber centum sententiarum ad monachos, sive anachoretas: Liber de vitâ communi coenobitarum ad Synoditas, alias: Sententiæ de Apathiâ, ac Liber ad virgines Deo sacratas cfr. Vallars. p. 154 et 155.

126) Qvis ille Sextus, Xystus, Sextius, vel Sixtus fuerit — tot enim modis scribitur — doctorum inter se discrepant sententiæ; ipse qvidem Rufinus in prologo Sententiarum Sexti, qvas Aproniano inscripsit, eundem, qvi in urbe Romanâ episcopi et martyris gloriâ decoratus fuisset, ab aliis tradi dixit; qvare Hieronymus in manes Rufini exeanduit epist. 43 ad Ctesiphontem, qvasi Sixti pontificis nomen scriptis ejus suspendisset; hoc etiam effecit, ut, cum Pelagius locos aliqvot tanqvam Xysti, romanæ ecclesiæ pontificis et martyris, pro se recitâsset, Augustinus eos, bonâ fide ratus auctoris verè pontificis et martyris in sensum catholicum emollire conaretur in Libro De naturâ et Gratiâ c. Pelag. c. 64 § 77.; at postea in Lib. 2. Retract. c. 42 se auctore deceptum fatetur. Philosophum Pythagoricum fuisse, pleriqve putant

ἀναμαρτήσίας — qvæ per impassibilitatem et impeccantiam explicat — Origeni olim propriam, in vulgus sparsissent [127]).

§ 28.

Si vero qværitur, qvid his de rebus ipse Rufinus docuerit, qvoniam ei nulla hinc orta cum Hieronymo fuit controversia, non nisi pauca, qvæ qvasi in prætereundo eloqvutus est, effata hinc illinc colligenda sunt; sed horum qvoqve examinatio ostendit, qvam invitus Origenis castra deseruerit; ubi qvippe nulla dissimulandi necessitas instabat, persvasionem suam liberè pronuntiavit, qvod imprimis e doctrinà de arbitrii humani libertate, qvam et suis et aliorum maximè verbis vindicavit, conspicuum est. De peccato originali etsi nihil memoriæ proditum reliqverit, attamen, qvam longè ab hoc dogmate, sensu Augustini amplectendo abfuerit, inde apparet, qvod cum Origene aliisqve doctoribus Alexandrinis inter imaginem ac similitudinem Dei discrimen fecit; statuens, imaginem Dei, ad qvam homo creatus sit, dispositionem esse ad bonum ab ipso homine enucleandam, ut scientià operumqve merito ad similitudinem Dei emergat [128]); qvæ tamen bona opera

---

127) cfr. Hieron. Prolog. Lib. 4. in Jerem. et epist. ad Ctesiphont, ubi Evagrium docuisse contendit impassibilitatem et imperturbationem animi, ita ut nunqvam ullo perturbationis vitio commoveatur, et vel saxum, vel Deus sit.

128) cfr. De Bened. Patriarch. Lib. 1. Bened. Judæ p. 15. Qvo melius appareat, qvam avidè Rufinus sententias Origenis imbiberit, qvamvis eas ubiqvè palam proferre non ausus sit, adferre juvat locum Origenis e libris *περὶ*

sic non commemoravit, ac si illis homo aliqvid per se mereret, cum ad gratiam Dei sint referenda, neqve gestis, qvæ mutari infectave reddi non possint, sed animo, qvando de malo in bonum Deo auctore convertatur, remissio peccatorum impetranda sit[129].

§ 29.

His paucis Rufini effatis — nec enim plura in scriptis ejus reperimus — cum totâ illius agendi ratione et accusationibus Hieronymi (in § præced:) collatis, subjungi qvoqve possunt antiqvorum scriptorum testimonia, licet aliis refragantibus eumqve labe Pelagianâ absolventibus. Notatu autem dignissimum est, qvod Cælestius pelagianus, Rufinum presbyterum, qvi fidem catholicam de traduce peccati inficiaretur, in judicio Carthaginensi, qvod anno 412 habitum est, sui purgandi causa nominavit; qvæ acta Augustinus his verbis retulit[130]): Aurelius episcopus dixit: Seqventia recitentur. Et recitatum est, qvod peccatum

---

Ἀρχῶν Lib. 3. c. 6. n. 2. p. 152, cum citatis Rufini effatis conferendum: hoc, ait, ergo, qvod dixit, ad imaginem Dei fecit eum et de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi qvod imaginis dignitatem in primâ conditione perceperit, similitudinis vero perfectio in consummatione servata est; scilicet, ut ipse sibi eam propriæ industriæ studiis ex Dei imitatione conscisceret, cum possibilitatem sibi perfectionis divinitus datam, per imaginis dignitatem in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret.

129) Comment. in Symb. n. 40.

130) August. de peccato origin. cap. 3.

Adæ ipsi soli obfuerit et non generi humano. Et cum recitatum esset, Cælcstius dixit: Dixi de traduce peccati dubium me esse, ita tamen, ut cui donavit Deus gratiam peritiæ consentiam, qvia diversa ab iis audivi, qvi utiqve in ecclesià catholicâ constituti sunt presbyteri. Paulinus diaconus dixit: dic nobis nomina ipsorum. Cælestius dixit: Sanctus presbyter Rufinus, Romæ qvi mansit cum sancto Pammachio etc. Hinc factum est, ut, qvi suspiclonem hæreseos pelagianæ à Rufino nostro amoliri voluerint, ad conjecturas confugientes, de alio aliqvo Rufino Cælestium loqvutum esse putaverint; aut qvippe de Rufino qvodam Syro, aut de Rufino Hieronymi discipulo, qvi e Bethlcemitico secessu ab eodem per Romam Mediolanum missus est anno circiter 399; ant deniqve de Rufino Palæstinæ ecclesiæ episcopo[131]). At hisce conjecturis opus esse non videtur; fatendum enim est, Rufinum nostrum, Origenis, Evagrii ac Sexti scriptis vertendis ac in vulgus per occidentem dispergendis, suum hac in re cogitandi tenorem satis luculenter prodidissc, paucaqve ipsius, qvæ huc pertinentia nobis reliqverit effata, magis certè cum Pelagii qvam Augustini sententiis conspirare. Nec tamen statim inde seqvitur, eum Pelagio prælusisse; siqvidem subjectiva formalisqve libertas à gratiâ divinâ, libertatis omnis principio, nimium divulsa, systematis Pelagiani cardiucm efficit; qvam in partem Rufinum peccâsse, argumentis ex historiâ scriptisve illius petitis, probari non potest.

---

131) cfr. Mar. de Rubeis de monum. eccl. Aqvil, p. 130.

Sectio Qvarta.

de Rufini polemicâ scribendi ratione cum Hieronymi collatâ, brevi addito certaminis inter eos conspectu historico.

§ 30—35.

§ 30.

Qvomodo Rufinus Origenem et interpretationem suam librorum περι Ἀρχῶν à criminationibus Hieronymi defendere conatus sit, in § 12 supra commemoratum est. Hoc non acqviescens Rufinus criminationes â se remotas in criminantem retorqvere studuit, ideoqve in scripta ejus tam exegetica[132]), qvam dogmatica[133]), censuram immitem exercuit, varias ex iis sententias decerpens, qvas perperam vel incaute prolatas existimavit; qvæ per singula eundo etsi longum foret, nec nostri sit instituti, gravissima tamen omnium accusatio, qvam in Hieronymum conjecit, qvæ vero ipsi â doctis maximè vitio vertitur[134]) silentio non pretereunda videtur, qvod qvippe Sacri codicis interpretationem Hieronymi latinam ex ebræo fonte deductam omnino improbavit[135]); hoc vero, cum ex omnibus Hieronymi scriptis maximâ laude dignum esset, Rufino summæ ignominiæ cessit, qvæsi nunqvam omnino, aliqvatenus tamen, dilui poterit, rebus, qvibus ad criminandum incitatus accessit, consideratis. Hieronymus scilicet Rufinum, interpretandis περι Ἀρχῶν libris, id ausum esse doluerat, qvod nemo

132) Maximè in Comment. Hieron. in Epist. Paulinas.

133) Qvæ de resurrectione Hieron. docuerat.

134) cfr. Clausen de Augustino p. 78.

135) Apol. L. 2. n. 31 et sqq.

prudentium vel sanctorum in latinum vertere aggredi voluisset], et qvod post qvadringentos annos, simplices latinorum aures vocibus novæ doctrinæ pulsare cæpisset[136]); ad qvæ Rufinus hunc in modum respondit; si interpretatio sua scriptorum Origenis damnanda et ob novitatem periculosa sit, qvæ modo auctoritatem humanam attineat, qvid tum statuendum esse de iis operibus, qvæ divinam auctoritatem emendare adeoqve labefactare videantur? et nominatim de Hieronymo, qvi primus omnium omnes in hoc vires intenderit? si unius hominis effata â fide catholicâ fortasse divergentia imbecilles offendere possint, qvid statuendum esse illos putare de studiis in corrigendum sacrum codicem collatis, qvem divinitus inspiratum esse tota ecclesia credat? rem igitur e primo aspectu non statim esse condemnandam, aut — ut ipsius utar verbis — non esse temerè de alterius opere judicandum[137]). Ex istâ igitur laboris Hieronymiani reprehensione, cum in susceptis utriusqve inter se comparandis unice versetur, non tam rei ipsius carpendæ, qvam sui purgandi consilium eminet. Huc accedit, qvod, si ea Rufino vitio vertenda est, qvam calore disputandi abreptus Hieronymo intulit, qvid tum de Augustino dicemus, qvi nullâ re nisi solâ persvasione adductus, hoc Hieronymi opus vituperare non dubitavit, laboremqve ejus in vetere Testamento de ebræo vertendo collocatum, non inutilem modo, sed detrimenti etiam et periculi plenum esse declaravit[138]). Ceterum

136) Hieron. Epist. ad Pammach. cfr. Ruf. Apol. L. 1. n. 36 et Lib. 2. n. 31 et seqq.

137) Apolog. Lib. 2. n. 38.

138) August. Epist. 28. num. 2.

de hac, ut plerisqve criminationibus, Hieronymo à Rufino illatis, id valet, qvod non tam veritatis vindicandæ, qvam suspicionis hæreseos ab ipso amoliendæ studium arguunt; id enim ubiqve ostendere conatur, Hieronymum, et Origenis operibus antea laudandis, et discrepantes à fide ecclesiasticâ sententias eloqvendo, nec ipsum sibi constare, nec minorem, qvam cujus nunc accusabatur, culpam sibi contraxisse, ita ut, si orthodoxia e constanti fidei ecclesiasticæ professione ponderanda esset, Hieronymus non majore jure, qvam ipse, ad hoc nomen adspirare posset.

§ 31.

Hæc hactenus de apologiis Rufini et criminationibus Hieronymo ingestis, qvas hic duobus adversus illum invectivarum libris diluens, cum à Rufino brevem epistolam extorsisset, tertium librum addidit. Restat, ut inter certantes comparatio paucis instituatur. In id certè omne studium contulerunt, ut unus alterum ad incitas redigeret et aliqvam fluctuantem ac à fide ecclesiasticâ, dissentientem cogitandi agendive rationem in hoste accusandam reperirent, de eo non tam solliciti, qvod verum esset, qvam qvod causæ interesset verum videri; ideoqve sensum ac verba pro lubitu detorqvere et in usus suos vertere, nec non, qvæ alioqvin certè non improbàssent, vituperare haud dubitârunt, ita ut pro firmis et perspicuis argumentis, ingenii sæpè lusus, turbida et jejuna ratiocinia subtilesqve disputandi argutias habeamus. Veruntamen in hoc inter se differunt, qvod Hieronymus mirâ convitiorum mole Rufinum obruit et omnis generis opprobria injuriæ

odiiqve plena in eum conjecit[139]) qvorum etsi Rufinus singulis singula opponens, suam qvoqve disputandi rationem aculeis munierit, à conviciis tamen gravioribus abstinuit, ejus generis odiosas contumelias, homini christiano indignas, se, ut potè concordiæ pacisqve amantem, detestari contendens, nec nisi durâ sui purgandi necessitate coactum, ad scribendum contra Hieronymum accessisse[140]). Placabilem qvoqve Rufinum et ad discordiam istam componendam proclivem fuisse, argumentis historicis affirmare licet; nam, cum Cromatius episcopus Aqvileiensis, utriqve amicus, dolens, eos, rupto foedere, qvod per tot annos amore conjunctos tenuerat, in dissidia ruere, studium ejus alio convertere vellet, Evsebiiqve historiam græcam in latinum vertere svaderet, Rufinus mox paruit et ad hoc munus absolvendum sese convertit[141]).

§ 32.

Mirum igitur, cum e scriptis Rufini polemicis mitius et humanius ingenium eluceat, tot antiqvi ævi scriptores, qvi certaminis hujus mentionem fecerint, omnem in eum culpam conjecisse, verbaqve Hieronymi tantum valuisse, ut vel recentioris ætatis auctores iniqva de illo ferant judicia. Sed animadvertendum est, Rufinum, qvando adversus Hieronymum scribendi munus suscepit, non

---

139) cfr. Hieron. Apol. 1. adv. Ruf. p. 488. Engelstoft: de Hieronymo p. 145 varia convicia, qvibus Rufinum Hieronymus petiit, in unum congessit.

140) Ruf. Apol. Lib. 1. num. 2. Lib. 2. n. 13.

141) vide præfat. Ruf. in Hist. ecclesiast.

modo contra eum, sed etiam contra ingenium ævi sui, Origeni infestum, pugnâsse. Hieronymus enim propter orthodoxiæ vitæqve asceticæ ardorem, qvo pleriqve flagrabant, tantum sibi nomen peperit, tantâqve doctrinæ ac sanctitatis laude floruit, ut, qvod laudaret, laudandum, qvod vituperaret, vituperandum esse crederetur et posteriores multi in verba magistri jurantes in Rufinum injurii esse non dubitarent. — Ut egregium ejus exemplum, qvod vituperatio Rufini, non argumentis e scriptis illius petitis, sed aliorum auctoritate et verbis, qvasi per manus traditis, haud raro nitatur, adferre juvat locum qvendam e Cuykii annotationibus ad Cassiani opera, De incarnatione Domini, edita Lips. 1733 in fol., ubi. pag. 803, Cuykius ad refutandam laudem, Rufino à Gennadio Massiliensi, in libro De Scriptor. Ecclesiast. cap. 17 p. 92. attributam, Gelasii pontificis decretum in concilio Romano LXX episcoporum attulit, qvod tale est: Ruffinus vir religiosus, plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est, sed qvoniam beatus Hieronymus in aliqvibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, qvæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solum de Ruffino, sed etiam de universis, qvos vir Sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit. Cui decreto innixus Cuykius Rufini laudem his verbis improbat: eat nunc Gennadius et Ruffinum cum D. Hieronymo conferat, aut, qvod impudentius est, ei præferat. Absit vero, ut, suum Rufino tribuentes, Hieronymum meritâ laude defraudari velimus; doctrina enim in eo absqve dubio

major et copiosior fuit, sed amorem et humanitatem in eo desideramus.

§ 33.

Ex iis, qvæ supra de certamine inter Rufinum et Hieronymum dicta sunt, puto apparere, qvam iniqvi Rufini sint arbitri, qvi æmulatione ductum in Hieronymum invasisse contendant[142]; cum durà sui et Origenis defendendi necessitate coactus ad scribendas apologias accesserit[143], nec alienæ gloriæ invidus, id ægrè ferret, qvod Hieronymus majore doctrinæ laude floreret, sed, qvod ipsum invidiosis accusationibus obruisset[144]; qvid qvod, in ipso certaminis fervore, suam Hieronymianâ versionem operum Origenis incultiore sermone conscriptam esse concessit[145], nec non ubiqve de doctrinâ suá modestè loqvitur, qvantum in hoc ab Hieronymo dissimilis, qvi

142) cfr. M. Anton. Sabellici Lib. 6 Exempl. c. 9. qvid qvod, inqvit, nc Hieronymo qvidem, in qvo tantum infusi luminis fuit, tantum eloqventiæ, suus defuit æmulus. Sed potuit Rufinus verbis contendere, sanctitate non potuit, qvanqvam, si illud qvoqve in ambobus pensetur, tantum stridonensis illa tuba carnicæ præstitit, qvantum Indici elephantis barritus culicis bombitulo.

143) Rectius Apologiæ qvam Invectivæ vocantur; etsi enim in Hieronymum invehantur, id tamen unicè agunt, ut criminationes auctori illatas diluant, partim refutando, partim in criminantem retorqvendo; debet igitur ab apologeticâ, potiore illarum parte, denominatio fieri.

144) Apol. Lib. 2. n. 40.

145) l. c. n. 29.

invidas aliorum voces, non sine multâ sui admiratione repulit[146]).

§ 34.

Nec Hieronymus criminationibus Rufino illatis acqvievit, verum etiam duos priores invectivarum suarum libros ad Augustinum episcopum Hipponensem, virum suæ ætatis celeberrimum, misit, qvo eum Rufino infestum redderet; tantum vero abfuit, ut Augustinus in partes Hieronymi descenderet, ut legentem ejus in Rufinum invectivas dolore se contabuisse et timore obriguisse declararet, eumqve per litteras amoris ac modestiæ plenissimas ad concordiæ studium hortaretur; dolere se enim inter tantos viros et olim tam amicos dissidii flammam ardere[147]); qvæ Augustini æqvitas tanto magis laudanda est, qvod ipse Hieronymo auctor fuerat, ut ea Origenis errata revelaret, qvibus à fide veritatis recessisse convinceretur[148]).

§ 35.

Hæc tamen Augustini humanitatis vestigia premere alii recusârunt. Jamdiu qvippe in oriente, qvæstione adversus Origenis doctrinam motâ[149]), damnationem ejus Theophilus Alexandrinus, sibi ab Origenianis injuriam nescio qvam illatam ægrè ferens et minis andropomor-

---

146) cfr. Engelstoft De Hieron. p. 67. et Hieron. Præfation. in L. 1. Comment. in Ephes.

147) Aug. epist. 63.

148) Ejusd. epist. 40. n. 9.

149) vide, qvæ de Epiphanio supra passim dicta sunt. § 6. § 12. § 17. § 24. not. 110.

phitarum territus, vehementer postulavit, eademqve Romæ causa agitabatur, cui latina librorum περὶ Ἀρχῶν versio, qvam Rufinus confecerat, ansam dedit, ipseqve interpres in crimen Romam vocatus est, qvi, cum præsens causam suam dicere recusaret, apologiam pro fide suâ ad Anastasium episcopum Romanum misit, ut invidiam sibi apud eum conflatam dilueret. Interea Anastasius fidelibus libris Origenis interdixerat ejusqve dogmata proscripserat, de qvâ re Johannes episcopus Hierosolymitanus certior factus, per epistolam Anastasium consuluit, num Rufinus, ob versos e græco in latinum sermonem Origenis libros, eodem crimine plectendus esset; cui Anastasius, causam Rufini ab Origenis causâ distingvendam esse respondit, illamqve divino judicio reservavit, cum culpa ejus ex eo penderet, qvo consilio, nemini præter Deum noto, Origenis libros latine vertisset; eam vero damnationis evitandæ legem attulit, ut Rufinus Origenis dogmata exsecraretur. Nec tamen Rufinum hæc ejurâsse, nec unqvam ut hæreticum publicè damnatum esse, dubiis omnibus exemtum est. Exstat qvidem sub ejus nomine Palinodiæ libellus, qvem e bibliothecâ Vaticanâ depromptum, primus protulit Henricus Norisius (Hist. Pelag. Lib. 1. cap. 3), qvo Rufinus errores, partim assertos, partim sibi imputatos ejurat. Hunc vero librum â Rufino non esse scriptum, si non aliunde, inde tamen pateret, qvod initium eum non Romæ sed Hierosolymis et Bethleem prodiisse declarat, qvo Rufinus, in Italiam semel reversus, nunqvam venit, in Siciliâ apud Messanam vitâ defunctus. Huc accedit, qvod Hieronymus Rufino certè librum istum exprobrâsset, si auctor ejus fuisset.

Nec defuerunt, qvi peremtoriam anathematis sententiam ab Anastasio episcopo in Rufinum latam censuerint, ad qvod probandum locum qvendam Hieronymi attulerunt, nempe Invect. in Ruf. L. 3. n. 15; ubi Hieronymus: qvomodo, inqvit, susceperit Italia, qvod Roma contempsit? Episcopi susceperint, qvod sedes apostolica condemnavit? Hæc profert nimirum de apologià, qvam Anastasio Rufinus miserat. Verum, si Anastasius in epistolà suà ad Johannem episcopum nullam apologiæ mentionem fecerit, inde non seqvitur, eam contempsisse, aut Rufinum damnâsse. Præterea hæc opinio eo refellitur, qvod in litteris Theophili pascalibus, ad Anastasium anno 401 scriptis, errores Origenis explicantibus, nulla Rufini mentio facta est; deinde, qvod Anastasius, ne in privatà qvidem ad Johannem epistolà Rufinum damnavit, sed judicium de illo suspendens, factam ab eo in ejus conscientiæ consilium interpretationem transfert; deniqve qvod Rufinus postea à præcipuis Italiæ episcopis in communionem suam benignè receptus est.

Sectio Qvinta.

De Rufino interprete Sacræ Scripturæ et historico.

§ 36—42.

§ 36.

A dogmaticis et polemicis Rufini scriptis [150]), ad exegetica historicaqve commemoranda pergimus. Ex

150) Habetur etiam sub nomine Rufini alia fidei expositio (vide Edit. Vallarsii p. 581 et sqq.), qvam Vallarsius.

qvo hæretici, imprimis Gnostici et Manichæi, infesta in religionem christianam tela conjicere et, non solum unam alteramve doctrinam aggredi, verum etiam ipsa doctrinæ fundamenta convellere, auctoritatemqve sacrorum librorum, qvibus illæ muniebantur, frangere cæperunt, ecclesiæ doctores, nominatim Origenes et Evsebius, necessitate qvadam coacti, in traditionibus historicis à primis inde initiis repetendis et singulis earum testimoniis ponderandis occupati tenebantur, qvo librorum genuinorum authentiam vindicarent, fictitios autem ex ecclesiâ dejicerent[151]. Hoc etiam Rufinus in exponendo symbolo non prætermittendum esse ratus, scripturarum sacrarum volumina enumeravit, eaqve in duas classes distribuit, canonicos qvippe et ecclesiasticos libros, ita dispositos:

Classis 1.

Libri Canonici.

A. Veteris Testamenti:

Qvinqve libri Mosis: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Devteronomium.

---

argumentis externis et maximè internis adductis, Rufino auctori abjudicandam esse jure merito statuit, qvibus cum nihil addere valeam, locum indicare sufficiat cfr. Vallars. De vitâ Rufini pag. 234 etc.

151) Certe ante Evsebium librorum genuinorum Novi Testamenti catalogi facti sunt, cfr. Hug. Einl. in die Schr. des N. T. Edit. 2. T. 1. p. 109. et sqq. — Discrimen, qvod inter varias antiqvissimorum librorum classes Evsebius fecit, satis notum est cfr. Hist. Evseb. Lib. 3. c. 25. ubi tres classes potissimum respiciendæ sunt, *ὁμολογουμένων, ἀντιλέγομενων* sive *νόθων*, et *ἀτοπων καὶ δυσσεβῶν*.

Jesus Nave.
Judicum unacum Ruth.
Qvatuor Libri Regnorum.
Paralipomenon, qvi etiam Liber dierum dicitur.
Duo libri Esræ.
Esther.
Esaias.
Jeremias.
Ezechiel.
Daniel.
Duodecim prophetarum liber unus.
Job.
Psalmi David.
Proverbia.
Ecclesiastes. } Salomonis.
Cantica Canticorum.

B. Novi Testamenti:

Qvatuor Evangelia; Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis.
Lucæ actus Apostolorum.
Qvatuordecim Pauli epistolæ.
Duæ Petri epistolæ.
una Jacobi.
una Judæ.
Tres Johannis.
Apocalypsis Johannis.

Classis Secunda.

Libri Ecclesiastici.

A. Veteris Testamenti:

Sapientia Salomonis.
Sapientia Sirach, sive: Ecclesiasticus.

Tobias. Judith.
Machabæorum libri.

B. Novi Testamenti.

Libellus, qvi dicitur Pastoris, sive Hermæ.
Duæ viæ, vel: Judicium Petri.

In hoc librorum indice plura attentione digua sunt: primum, qvod libros Threnorum et Baruchi prætermisit, et in libris Samuelis et Regum, uno nomine qvatuor Regnorum comprehensis, â dispositione versionis LXX discessit; deinde, qvod libros, nullâ accuratiore, inter legem, prophetica, historica ac poëtica scripta distinctione factâ, nullâqve trilogiæ inter Judæos receptæ, תּוֹרָה (*νομος*) נְבִיאִים (*προφηταὶ* sive scriptores historici et prophetæ) כְּתוּבִים (*ὕμνοί, ἁγιόγραφα, τα ἄλλα βίβλια*) ratione habitâ, omnes uno tenore recitavit; tum, qvod numerum librorum Maccabæorum non designavit; modo autem duos enumerare voluisse, vero simile est, cum tertius Maccabæorum liber neqve in versionem vulgatam receptus sit, nec ab ullo ecclesiæ latinæ patre in canonem adscitus; deniqve, qvod libris canonicis et ecclesiasticis recitatis, paullo post apocryphorum etiam mentionem fecit, et, in his tribus classibus â se invicem separandis, eam diligentiam adhibuit, ut canonicos libros esse dicat eos, e qvibus fidei norma elicienda sit, ecclesiasticos, qvi in ecclesiis qvidem legi solerent, non tamen proferrentur ad auctoritatem ex iis fidei comparandam; apocryphos, qvos in ecclesiis legere majores noluissent. — Qvam vero auctoritatem in disponendis Sacri codicis libris secutus sit, non liqvet, cum pro more parum accurate e monumentis patrum se scrip-

turas designandi regulam hausisse contendat. Etsi autem Rufinus in libris canonicis à non-canonicis diligenter distingvendis et cum antiqvioribus et cum Hieronymo[152]) consentiret, nihilo tamen minus ævo ipso Rufini libri Veteris Testamenti ecclesiastici conciliorum decretis[153]) in canonem recepti sunt, præeunte Augustino, qvi primus ordine codicis hebræorum relicto, apocryphis, qvi apud ipsum ecclesiasticos qvoqve libros comprehendunt, in sacrum codicem evectis, eandem, qvam ceteris, auctoritatem divinam adscripsit[154]). Id enim seculi istius ingenio convenit, ut, pro rationibus criticis et historicis, singulorum hominum auctoritatem ecclesia substitueret, qvippe qvæ e sinu suo credendorum normam pro lubitu depromptam aliis obtrudere jam coepisset.

§ .37

De modo, qvo sacra scriptura auctoribus divinitus inspirata sit, nil certi statuisse, nec ullam hac in re theoriam Rufinus secutus esse videtur[155]); hoc unicè mirum est,

---

153) Hieron. Prolog. Galat.

153) concil. Carthag. 3. can. 47. conc. Hipp. c. 36.

154) cfr. Clausen de August. p. 45.

155) Hunc de inspiratione articulum, effatis Rufini dogmaticis subjunxissem, nisi tam paucis illum attigisset, ut ad fidem ejus illustrandam parum conferant; ea tamen omnino prætereunda non putavi, siqvidem, cum diverso sacris libris pretio altributo collata, fluctuantem, nec sibi constantem, auctoris hac de re cogitandi tenorem exhibent.

qvod, cum discrimen inter pretium librorum fecerit, inspirationis tamen, qvam Spiritui Sancto adscribit, gradus nullos agnoscat, sed eandem ad omnes Veteris ac Novi Testamenti libros extendat[156]): et hac in re ab Origene discedit, qvi relativam qvandam, ut ita dicam, Veteris Testamenti inspirationem, adventu demum Christi probatam admisit. Sed observandum est, Rufinum hac de re modo generaliter esse locutum, magisqve fidem ecclesiæ traditionibus majorum superstructam, qvam persvasionem suam exposuisse[157]).

§ 38.

Cum Rufinus in monasterio Pineti libris Origenis περὶ Ἀρχῶν in sermonem latinum vertendis operam daret, interpretationis sacri codicis specimen aliqvod edidit, rogatu Pontii Paulini cognomine Nolani, duos de Benedictionibus 12 patriarcharum libros conficiens[158]), qvi, cum alia proprio marte opera exegetica non scripserit, attentione nostrâ digni sunt[159]).

---

156) Comment. in Symb. n. 36.

157) Origen. περι Ἀρχῶν Lib. 4. n. 6. p. 161.

158) vid Præfation. in Lib. 1.

159) E græco Rufinum multa ad exegesin Sacri codicis pertinentia in sermonem latinum transtulisse constat, ita e scriptis Origenis: homilias 17 in genesin, 13 in Exodum 16 in Leviticum, 28 in Numeros, 26 in Josuam, 9 in Judices, 9 in Psalmos, 1 in librum 1 Regum, 4 in Cantica Canticorum, tomns 15, in 10 libros distinctos, in Epistolam Pauli ad Romanos. E scriptis Gregorii Nazianzeni: De dictis Jeremiæ. Multæ præterea versiones ci

§ 39.

Sacræ Scripturæ interpreti haud mediocris difficultas offertur, qvando ea, qvæ sensu litterali, ab iis, qvæ sensu figurato et improprio dicta sunt, distingvi debent; periculum enim est, ne, si ad literas omnia resecantur, involucra idearum pro ipsis ideis amplectamur, et, ab altera parte, si litteræ negliguntur, interpretatio incertis viis vagetur; hujus utriusqve rei antiqva ecclesia nobis exempla præbet, Alexandrinorum, qvi in interpretando phantasiæ nimis indulgebant, et Manichæorum, qvi, qvo loca in Sacrâ scripturâ sibi invicem repugnantia invenirent, litteras miserè torqvebant; illos Origenes seqvutus, scripturam triplicem sensum, litteralem qvippe, moralem ac mysticum sev allegoricum continere statuit, credendumqve esse, e visibilibus et invisibilibus eam, veluti e corpore qvodam, animâ spirituqve constare[160]); monens, scripturam, litterali sensu acceptam, multos in ruinam et præcipitium errorum traxisse[161]); qvin immo, si ad litteras omnia urgerentur, impossibilia qvædam et rationi repugnantia complecti tam Veteris qvam Novi Testamenti libros[162]).

---

perperam tribuuntur ex. c. versio Origenis homiliarum in Lucam, qvæ Hieronymum interpretem habent: comment. in 75 priores Davidis psalmos, in Oseam, Johelem, Amos. Utrum vero Origenis homilias 7 in Matthæum et 1 in Johannem verterit, in medio â doctis relinqvitur.

160) Homil. 5. in Levit. n. 1. Περὶ Ἀρχῶν Lib. 4. n. 11. p. 168.

161) περὶ Ἀρχῶν L. 4. n. 8. p. 164 et 165.

162) περὶ Ἀρχῶν L. 4. n. 15. et 16. p. 173 ss.

Cum vero patres ecclesiæ eandem ad omnes sacri codicis libros auctoritatem divinam extenderent, nulloqve inter diversum diversorum scriptorum argumentum discrimine facto, omnia, qvæ de religione, historiâ, poësi, civitate perhiberent, eadem veneratione proseqverentur — at ex alterâ parte multa hic sibi invicem contraria deprehenderent, qvo pietati consuleretur, ad allegoricum interpretandi principium mox confugerunt, per qvod omnia explanare conciliareqve potuerunt. Hinc autem factum est, ut pleriqve, donec ipsa ecclesiæ potestas pro interpretandi normâ haberi cæpta est, litteralem sensum satis non curarent, nec id tam spectarent, qvod sacri scriptores dixerint, qvam qvod dicere debuissent; relicto autem sensu et consilio scribentis, litterisqve in figuras imaginum mutatis, omnia lusibus et argutiis artificiosis replentur. In hanc partem Rufinum qvoqve peccâsse, mystico Origenis interpretandi generi addictum, documento est, qvod nobis reliqvit, interpretationis suæ specimen. Etsi enim alterno intellectu expositionem dirigendam esse statuerit, ita ut interruptio historialis intelligentiæ mystici sensus arcanum proderet, nec tamen, ubi, et qvomodo hoc principium hermenevticum applicandum sit, nec certa veræ interpretationis criteria accuratius commemoravit, et in eo ipse totus est, ut nobiliorem — qvem vocat — sensum e mysticâ rerum expositione provocet; hanc enim tanti fecit provinciam, ut, qvo qvis ei ritè fungatur, mentem Spiritu Sancto illuminatam deposci contenderit; qvod, si de piâ mente ad fidem enucleandam necessariâ, interpretari liceret, rectè utiqve monuisset; verum hæc mystica Rufini rerum expositio, sunt lusus et excursiones allegoricæ,

qvibus tantoperè delectatur, ut omnia ferè patriarchæ verba in Christum et res christianas detorqveat, nullàqve contextus habitâ ratione, varios ex Vetere ac Novo Testamento locos undiqve congestos applicet et in usus suos trahat. Ad qvam rem probandam pauca adferamus exempla:

in Libro 2º Benedict. Zabulon.

Vocabulum Sidon, qvod venatorem vel venatricem explicat, de apostolis Christi accipiendum esse dicit, de qvibus propheta prædixit: qvia mittam venatores multos et venabuntur eos in omni monte.

Benedict. Isaschar.

Isaschar, qvia merces interpretetur, illorum figuram servare dicit, qvi dicunt: si enim volens prædicavero, mercedem habeo. 1 Cor. 9. et de qvibus dictum est: ecce Domini filii merces, fructus ventris; monet nimirum mercedem filii Dei, apostolos rectè putandos esse, ipsos enim esse, qvi concupierint bonum, de qvorum animabus in Canticis Canticorum c. 1. dicatur: adolescentulæ dilexerunt te et qvæ dicant ad Jesum: post te in odorem ungventorum tuorum curremus.

Benedict. Gad. Piraterium (πείρατήριον) tentabit illum, ipse autem tentabit eos post pedes; hæc verba veriore spiritualiqve intelligentiâ monet indicare illud Domini nostri et Salvatoris, qvod adversus Diabolum habuit, positus in carne, certamen. Personam Christi ponit in Gad, in piraterio cohortem qvandam et conspirationem Piratarum, ɔ: diabolum cum ministris suis et satellitibus.

Bened. Aser.

Qvoniam Aser: beatus explicetur, hoc vocabulum

sensu mystico ad eum trahit, qvem ab errore per pænitentiam revocatum, paulatim per singulos gradus, usqve ad beatitudinis nunc incrementa perducimus, post conversionem, post intelligentiam spiritualem, post tentationum victoriam.

Benedict. Nepthalim.

Hanc ad Apostolos Christi transfert.

Bened. Joseph.

Josephum ad personam Christi revocat; qvemadmodum enim Joseph, postcaqvam putatus est mortuus, non solum vivens, sed etiam in regno positus invenitur, ita etiam Christus, qvi apud Judæos mortuus putabatur, in cordibus fidelium et vivens invenitur et reguans; qvam inter Christum et Josephum mysticam similitudinem seqventibus in omnes partes explicat.

Benedict. Benjamin.

Iis, qvæ de Paulo Apostolo hic dicta esse, Origenes homil. 4tâ in Ezechielem, Tertullianus contra Marcionem Lib. 5. c. 1., nec non Ambrosius in hunc locum, asseruerunt, Rufinus nonnulla addidit; qvod qvippe Benjamin sorte hæreditatis eum locum accepit, in qvo terrena Jerusalem, typum habens et formam cælestis illius Jerusalem, collocata est etc., inde concludit, Benjamin pro Israele accipi posse.

Sed vereor, ne his inutilibus et nauseam fere moventibus verborum lusibus, diutius, qvam par est, colligendis immorer; sufficiant igitur hæc allata mysticæ Rufini interpretationis exempla, qvorum plura videndi cupidum ad auctorem ipsum ablegare liceat, eâdem enim omnia effrenatâ nullisqve regulis adscriptâ interpretandi licentiâ

lasciviunt. Nec tamen Rufinus in litterali mysticoqve explicandi genere substitit, sed — cum Scriptura divina non solum sacramentorum debeat scientiam continere, verum etiam vitæ dirigendæ normam — sensum qvoqve moralem e singulis benedictionibus mirâ arte provocat, comprehensâ qvâcunqve notionum et vocabulorum similitudine, cui rei affirmandæ hæc exempli loco inservire possunt: in Bened. Isaschar, verba Rufini ipsius ita audiunt: „Sed qvoniam instituimus arcam Scripturæ divinæ, non bicameratam solum, sed tricameratam (sicut ad Noe à Domino dictum est) construere, videamus nunc, qvaliter nobis Isaschar etiam tertium ædificet nidum. In superioribus adsumsimus eum hominem, qvi tripartito animæ motu (ut est totius animæ langvor) ira et furore errantem, qvod per concupiscentiam Ruben, et per iram Symeon et Levi prudentiam non rectè directam significari posse distinximus, sed hunc jam in Judâ ostendimus pænitentem, et in Zabulon ex multâ parte conversum, in Jsaschar vero, qvi merces interpretatur, jam videmus eum etiam mercedem boni operis exspectantem“ etc. Hic ideo ipsum loqventem induximus, qvod his verbis argumentum morale plurium simul benedictionum, in compendium qvoddam redactum, comprehendit. At non solum e nominibus patriarcharum, verum e singulis qvoqve uniuscujusqve versus verbis moralem sensum elicuit. Ne vero putemus, Rufinum solum tam ineptè interpretis munere functum esse ideoqve nimis severè de illo judicemus, necesse est, eum cum ætate suâ comparemus, et tunc, ut antea dictum est, hoc plerisqve patribus cummune fuit vitium, qvod in sensu mystico ubiqve inveniendo desudabant, unde ingentem mysteriorum,

imaginum, allegoriarum cohortem produxerunt[164]). Augustinus qvidem mediam qvandam inter verbalem et allegoricam interpretandi rationem, viam tenere conatus est, certasqve regulas constituit, e qvibus figurata sacrorum librorum dictio dijudicanda esset[165]); cum vero idem omnibus libris Veteris ac Novi Testamenti, idemqve diversissimo singulorum argumento pretium tribueret, nec non in Manichæorum ad verba qvæcunqve prementium erroribus evitandis et impugnandis versaretur, non mirum, si in applicandis regulis suis ad Allegoristas plus justo accesserit. In exponendis benedictionibus patriarcharum, textum Versionis Lxx Rufinus seqvutus est, lingvæ enim hebraicæ imperitus fuisse videtur; qvod non mirabitur, qvi perpendat, excepto Hieronymo, complures alios patres, et vel ipsum Augustinum, hujus lingvæ præsidio distitutos fuisse.

§ 40.

Si hos Rufini De Benedictionibus Patriarcharum libros, cum decimaseptimâ Origenis in Genesin homiliâ compa-

164) Ita Ambrosius, his verbis: qvis suscitabit illum? unius naturæ filium Dei cum patre esse, doceri affirmat. In Benedictione Simeon et Levi, Ambros. per hos duos filios Jacobi, scribas et pharisæos, qvi in Domini passione neqvitiam suam perfecerunt, intelligi voluit et in câ re cum Rufino consentit. In Benedictione Dan, cujus judicis provinciam Rufinus ad Christum vivorum et mortuorum judicem, trahit, Ambros. de antichristo explicandum esse censet. etc.

165) cfr. Clausen de Augustino p. 150. et sqq.

ramus, tanta est inter utrumqve, non solum sententiarum explicandiqve regularum, sed singulorum qvoqve verborum similitudo, ut dubitari vix possit, illos conficienti hanc ad manus fuisse; qvæ res cum nesciam an ab ullo observata sit, aliqvot utriusqve commentarii locos inter se conferendos, ad sententiam nostram probandam, in medium proferamus. Cum commemorata Origenis homilia non nisi benedictionem Ruben, Symeon, Levi ac Judæ complectatur, ceteras octo, Rufino proprias, cum iis conferri non posse, per se patet. Interea diversitas qvædam in dispositione benedictionum apud utrumqve primum observanda est; dum nimirum Origenes â benedictione Ruben, ut filii Jacobi natu maximi, Rufinus â Judâ benedicendo incipit; verum hoc discrimen inde oritur, qvod presbyter Paulinus Rufinum rogaverat, ut Genes. 49 versum undecimum, qvi de benedictione Judæ agit, sibi explicare dignaretur, ideoqve Rufinus priore libro hunc versum interpretatus, de undecim reliqvis benedictionibus, rogatu ejusdem Paulini, secundum librum postea composuit. Sed ad comparationem inter utrumqve Commentarium instituendam revertamur:

Benedictio Ruben. Interpretatio Rufini: Incesti historia neminem latet, qvomodo Ruben in concubinam patris sui efferbuerit flammâ libidinis et paternum maculaverit thorum. Sed qvod in initiis laudis ei videtur aliqvid adscribere, dicens: tu virtus mea, idcirco fit, ut gravius notetur in crimine, qvi cum virtus patris haberetur et initium filiorum, nesciit servare reverentiam patri; qvale est et illud, qvod dicitur per prophetam: Ego te plantavi vineam

frugiferam, totam feracem, qvomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ.

Interpretatio Origenis:

Incestus historia neminem latet, qvomodo Ruben in concubinam patris efferbuerit flammâ libidinis et paternum maculaverit thorum, sed qvod in initiis laudis ei aliqvid videtur adscribere dicens: tu virtus mea; idcirco fit, ut gravius notetur in crimine, qvi cum virtus patris haberetur et initium filiorum, nesciit servare reverentiam patri. Qvale est et illud, qvod dicitur per prophetam: Ego te plantavi vineam fructiferam etc.

Num. 2. Rufinus.

Secundum mysticam vero intelligentiam videtur mihi Ruben prioris populi Judæorum ferre posse personam, qvi et primogenitus est et initium filiorum sicut et propheta dicit: Israel primogenitus meus. Primis namqve illis data sunt eloqvia Dei. Qvod autem durus fuerit ille populus et temerarius, Scripturæ denunciant, dicit enim de eis propheta: omne, qvod loqvitur populus hic, durum est. etc.

Origenes: Secundum vero intelligentiam, videtur mihi Ruben prioris populi Judæorum ferre posse personam, qvi et primogenitus est, et initium filiorum, sicut propheta dicit: Israel primogenitus meus. Primo namqve illis data sunt eloqvia Dei. Qvod autem durus fuerit ille populus et temerarius, scripturæ denunciant; dicit enim de eis propheta: omne, qvod loqvitur populus hic, durum est. Reliqva qvæ seqvuntur ad finem usqve hujus Benedictionis iisdem omnino verbis apud utrumqve expressa sunt, sensusqve moralis eodem modo in fine applicatus.

Benedictio Symeon et Levi, ne verbo qvidem inter se differunt; et Benedictio Judæ eadem apud utrumqve omnino est, usqve ad finem homiliæ Origenis; tum enim ab his inde verbis: *filios patris sui, qvasi in morali loco* etc. Rufinus ad sensum loci moralem uberius enucleandum, de suo nonnulla addidit. Hinc apparet, Rufinum in his libris conficiendis Origenis interpretandi rationem allegoricam non modo suam fecisse, verum etiam homiliam ejus sæpius nominatam, ab ipso in sermonem latinum translatam, in commentarium suum verbotenus recepisse.

§ 41.

Venimus nunc ad scripta Rufini historica breviter commemoranda, qvorum præcipua habenda est historia ecclesiastica, decem libris constans ab Evsebio Cæsareensi græcè scripta, qvam Cromatii monitu, duobus auctam, circa annum 400 in sermonem latinum transtulit. Evsebii historia inde ab ascensione Domini ad Constantinum, sive Arianæ litis ortum, res gestas narrando perseqvitur, ita ut septem priores libri, qvæ ante Evsebii, tres posteriores ea, qvæ temporibus ipsius acciderint, contineant[166]); unde Rufini duo libri ad mortem usqve Theodosii Magni, sive annum 395 pertingunt. Si ad ea, qvæ variis temporibus, tum de hac Rufini Evsebianæ historiæ versione, tum de duobus istis, qvos addidit, libris, à doctis lata sunt judicia, respicimus, tam diversa sunt sibiqve invicem contraria, ut dum alii hoc opus summis laudibus efferant, alii id

166) Evb. Hist. L. 7. c. 32.

summo vituperio dignum esse censeant[167]. Qvod Evsebii historiam attinet, fatendum utiqve est, Rufinum in eâ vertendâ, ut in Origenis aliorumqve scriptis interpretandis, nimiâ libertate usum esse adeoqve arbitrariè versatum, ut additis aliis, aliisqve decurtatis, plurima mutaverit; dimidium enim libri octavi, qvi in exponendis causis persecutionis Diocletianæ et martyrum certaminibus enuarrandis versatur, omnino omisit[128], decimum vix attigit[169], adeoqve ex decem Evsebii libris fecit novem, qvam suam agendi rationem eo ipse excusatam haberi voluit, qvod e decimo libro non nisi ea, qvæ superflua viderentur, omiserit, et historiæ si qvid haberet, nono conjunxerit[170]; ordinem qvoqve capitum in libro sexto[171] et septimo muta-

167) Antiqvorum recentiorumqve de hoc opere judicia congesta vide in Vallarsio à pag. 179 ad pag. 185.

168) Etsi argumentum libri octavi decurtaverit, capitum tamen numerum auxit, ita ut hic liber apud eum 19 capita apud Evsebium vero 17 cap. contineat: caput enim 10 in duo capita distribuit, et cap. 12 adsuit.

169) cfr. Præfat. in H. E. ad Cromat: ubi Rufinus, ideo se e decimo Evsebii libro multa omisisse declarat, qvod perparum haberet in rebus gestis, per reliqva omnia in episcoporum panegyricis tractatibus, nihil ad scientiam rerum conferentibus, occupatus.

170) l. c.

171) Librum 6tum, qvi apud Evsebium 46 capitibus constat, ita contraxit, ut in versione ipsius modo 37 capita comprehendat; capita qvippe 14. 19. 20. 24. 25. 27. 32. 36. 46. partim leviter attigit, partim ordinem eorum pervertit.

vit[172]) in libri sexti capite undecimo revelationes Alexandro Hierosolymitano communicatas, ab Evsebio vix tactas, fusius libri ejusdem capite octavo expositas multiplicavit; in libro septimo adsuit narrationem de miraculis Sancti Georgii, qvæ in Evsebio non reperitur. Hæc vero non nisi pauca e multis delibata sunt; si enim versionem hancce Rufini, per singulas ferè paginas à verbis Evsebii plus minus discedentem, seqvi vellem, vereor, ne talis inter utrumqve instituenda comparatio fines hujus dissertationis longe excederet, et ad rem ipsam in confesso probandam parum conferre videretur. In hoc autem plerosqve consentire puto, Rufinum, græcarum litterarum peritissimum, lepido dicendi genere usum esse, nec non suis locis sensum Evsebii et verba aptissimè expressisse, unde minus æqvum illorum de hac ejus versione judicium esse videtur, qvi eam ne paraphrasin qvidem dici posse arbitrantur, sed proprium opus, in qvo tamen Evsebium plurimum exscripserit[173]); et Rufinus ideo certe laude dignus est, qvod primævos historiæ ecclesiasticæ fontes occidenti parum notos reseravit, et ita qvoqve ad vitam christianam enucleandam ac fovendam et ad conscientiam ecclesiæ explicandam nutrimenta suppeditavit. — Versioni tamen historiæ Evsebianæ, *ἀκριβείαν*, qvam chronico Evse-

172) Libri 7ti capita 8 et 9. in unum contraxit, cap. 18. 29. 30. omisit, ita ut hic liber e 32 capitibus apud Evsebium constans, secundum versionem Rufini 28 cap. contineat. Præterea libro 1° duo capita addidit. Libri 3tii capita 38 et 39 in unum contraxit. Lib. 4. caput 17um omisit.

173) cfr. Vossium De Historicis Latinis Lib. 2. cap. 11. p. 66. edit. Amstelod. 1699.

bii vertendo Hieronymus adhibuit, longe præferendam esse, nemo inficias ibit. Qvando ad duos reliqvos à Rufino confectos historiæ ecclesiasticæ libros oculos convertimus, pretium illorum æstimaturis primum nobis ad fontes respiciendum est, e qvibus narrationes suas hauserit; ex horum enim perspicuitate et criticâ, qvâ adhibiti sunt, diligentiâ, uniuscujusqve historici fides ponderanda est; hic vero in Rufino summam et neqvaqvam excusandam negligentiam deprehendimus; fontes qvippe, e qvibus rerum gestarum narrationem deduxerit, in duas classes dispescit, qvarum una majorum traditiones complectitur, altera ea, qvæ ipsius memoria comprehenderat [174]), sed nec indicavit, qvænam hæ majorum traditiones essent, qvas alibi literas majorum appellat [175]), nec qvænam aut qvo jure fides iis habenda sit, nec fontes operis sui ita descripsit, ut inde discamus, qvænam traditionibus, qvænam ipsius memoriæ, iisve, qvorum relata referat, adscribenda sint; et in hoc ab Evsebio valde discrepat, qvi auctores narrationum suarum sæpissime nominat. Qvum igitur Rufinus historiæ suæ fontes accuratius non indicaverit, de illorum auctoritate aliud ferri non potest judicium, qvam qvod ex ipsarum narrationum indole consideratâ seqvitur.

Iam igitur, si hinc ad historiam Rufini revertimur, de eâdum ejus in fontibus eligendis, qvâ in iis definiendis usus est, negligentiâ, persvasi reddimur; tot enim portentis atqve prodigiis scatet narratio, ut incertos vulgi rumores haud raro seqvutum, non immerito suspicari possi-

---

174) Præfat. in Hist. Evseb. ad Cromat,

175) Præfat. in Hist. Rufini eccl.

mus, ex. c. in libr. 1. cap. 5. Mirabilia Spiridionis episcopi narrantur. cap. 7. De Helenâ Constantini matre, crucem Domini perqvirente, agit. cap 8. De cruce Christi ab eâdem repertâ. cap. 14. De Athanasio puero alios baptizante. cap. 18. De Athanasio sexennium post concilium Tyri habitum in cisternâ latente, ut solem nunqvam videret. cap. 35. De sepulcro martyris Babylæ. Lib. 2 cap. 8. De discipulis Antonii in eremo habitantibus, virtutes et signa facientibus. — Deinde, si de pragmaticâ rerum expositione qværimus, ita ut, nexu rerum gestarum servato, suo qvæqve ordine narrentur, videmus historiam â Rufino luxatam et sæpius inversam; ex. gr. non nisi pauca qvædam Athanasii vitæ momenta retulit cfr. Lib. 1. cap. 14. qvod tanto magis dolendum est, qvanto plus hic vir, ætatis suæ celeberrimus, ad certam ecclesiæ christianæ formam provocandam contulit; de inverso temporis ordine cfr. Lib. 1. cap. 12. ubi concilium Constantinopoli habitum commemoravit, sed capite demum decimo sexto synodum Tyrianam; cum tamen hæc prius habita fuerit ɔ: anno 335, illud anno inseqvente ɔ: 336. — In temporibus qvoqve et annis, qvibus qvæcunqve res evenerit, definiendis parum diligens fuit, ita ut filum narrationis facile perdamus, cum certis signis destituti temporum seriem seqvi non valeamus. cfr. ex. c. L. 1. cap. 20. De synodo Mediolani congregatâ, qvod anno 335 factum est. et cap. 21. De Ariminensi concilio ɔ: anno 359, eodemqve anno Orientalium Seleveiæ concilium est habitum.

Etsi vero hoc opus vitiis suis utiqve laboret, magni tamen ab antiqvis factum esse constat, ita ut vel ex ipsis Græcis Gelasius Cæsareæ in Palestinâ episcopus duos

Rufini libros in lingvam græcam verteret. — Imprimis vero in occidente huic operi plures causæ ex ipsius pretio proximè non pendentes laudem pepererunt; primum enim, qvando cum historiâ Evsebianâ in unum coaluerat, ad primævos — ut antea dictum est, — historiæ ecclesiasticæ fontes qvalescunqve, occidenti parum notos, aditum aperuit, qvi tanto majoris momenti habebantur, qvanto gravior externa et historica cum ecclesiæ conditore communio spectabatur, deinde qvoqve relationibus miraculosis martyrologia ecclesiæ latinæ adaucta sunt, tum etiam ad fidei catholicæ confessionem per septentrionem promulgandam plurimum contulit, cum definitiones concilii Nicæni in canones 22 abbreviatas in Lib. 1. cap. 6to auctor exposuisset[176]), qvæ inde petitæ in codicem ecclesiæ antiqvæ Gallicanæ migrârunt; (cfr. Vallars. vit. Ruf. p. 179.) deniqve, qvod animum erga Arium minus benignum spirare videbantur (cfr. Lib. 1. c. 13).

Cum vero historici sit, — qvalem nobis fingimus — ut e claris ac limpidis fontibus rerum gestarum narrationes hauriat, ut â partium studio immunis sit, ut mutuum causarum et effectuum nexum facile cernat et qvæcunqve suo ordine exponat, deniqve — qvod præsertim de historiâ ecclesiasticâ valet — ut in rebus narrandis, non ad externam tantummodo factorum speciem, verum etiam ad pium animi humani desiderium assiduo respiciat — hæ virtutes, historico necessariæ, in historiâ Rufini eccle-

176) Exstat alia, qvæ nomen Rufini præ se fert, versio Symboli Nicæni, at magna est de auctore et interprete dubitatio cfr. Walch. Bibl. Symb. p. 83. Observ. 3.

siasticâ magnoperè desiderantur. — Attamen suum qvæcunqve ætas habet modulum, qvo fructus ejus metiri debemus, nec erga Rufinum justi et æqvi videremur, si e regulis historico servandis exeuntes ad libros ejus æstimandos accederemus, nullo temporis, qvo vixit, respectu habito, ex iis pretium horum unicè ponderaturi. — Primum, qvod historiæ Evsebianæ versionem attinet, monendum est, libertatem, qvâ in explicando usus est Rufinus, ei soli non propriam, sed pluribus qvoqve patribus ecclesiasticis communem fuisse, siqvidem Hieronymus eandem, licet majore apparatu critico instructam, in Chronicon Evsebii intulit, qvod etiam ipse in Præfatione versionis testatur, in qvâ monet se accuratè ex græco transtulisse ea, qvæ â Nino atqve Abrahamo usqve ad Troiæ obsidionem Evsebius narraverat; ab excidio vero Troiæ ad vigesimum usqve annum Constantini, multa e Svetonio ceterisqve auctoribus latinis se tum adjecisse tum mutâsse; deniqve Evsebii Chronicon ab anno vigesimo Constantini, ubi desierat Evsebius, ad sextum usqve Valentis consulatum, Valentiani vero secundum ɔ: annum 378, se produxisse.

Deinde si ad res miraculosas â Rufino in historiâ suâ ecclesiasticâ narratas, respicimus, eundem qvoqve prodigiorum amorem e pretio vitæ asceticæ trituto profectum, in aliis patribus ecclesiasticisqve scriptoribus observare licet; de qvibus, qvi certior fieri voluerit, vitas Sanctorum, et Romanarum trium viduarum ab Hieronymo narratas consultum adeat[177]); deniqve si Rufinum cum

177) Socrat. L. 1. c. 12 in fine, narrationem Rufini Hist. Eccl. Lib. 1. c. 5 De Spiridione ejusqve miraculis re-

Socrate ac Sozomeno comparamus, qvorum ille historiam ecclesiæ septem libris complexus est eamqve à Constantino M. incipientem ad Theodosii minoris tempora perduxit; et hic historiæ ecclesiasticæ libros novem à consulatu Crispi et patris ejus Constantini incipientes ad imperium Theodosii minoris pertingentes condidit; majorem utiqve in his diligentiam demonstrant accuratæ ut plurimum temporum notationes ac conqvisita undiqve optima historiæ ecclesiasticæ monumenta, episcoporum literæ, synodorum acta, scriptorum istius ævi ecclesiasticorum libri. Sed observandum qvoqve est, Rufino ad hos fontes nec tam facilem, qvam illis, præsertimqve Sozomeno, qvi Imperatori Theodosio minori historiam suam dicavit, aditum patuisse, et præter hanc, eum aliis, etiam majoribus utiqve difficultatibus ei pugnandum fuisse; tam arctè qvippe causæ cum effectibus cohærere solent, effectusqve varias causas, temporis demum certo qvodam intervallo enucleandas in se continere, ut res gestas præsentis temporis et nexum inter eas mutuum narraturo plus laboris offeratur, qvam ei, qvi facta præteriti temporis in superiore loco qvasi constitutus refert, singulaqve temporis phaenomena cum causis suis et seqvelis dignoscere et in omnes partes examinare potest; hoc Socrati et Sozomeno contigit, qvi post Rufinum historias suas confecerunt, ideoqve omnia melius disponere et in ordinem redigere valuerunt,

---

ferre non dubitavit, seqve eam ex Rufino accepisse professus est, ɔ: *συνταγματι Ρȣφινȣ τινος πρεσβυτερȣ, Ρωμαϊκη λεξει συγγεγραμμένω.* Ruf. H. E. Lib. 2. c. 8. eadem portenta vide apud Sozomen. L. 6. c. 23—35.

præsertim cum opus Rufini ad manus haberent[178]), qvod ea, in qvibus errâsset, evitandi et meliores fontes circumspiciendi occasionem illis præbuit. — Tandem si Rufinus à partium studio non omnino alienus fuerit, haud mirum est, cum tota illius ætas indolem polemicam præ se ferens in hæreticis impugnandis occupata teneretur, unde etiam Socratem Novatianis patrocinatum esse, scriptores antiqvos narrâsse constat[179]).

§ 42.

Historiam qvoqve eremiticam, sive vitas patrum (monachorum) uno libro comprehensas Rufinus confecisse dicitur. Sed de auctore haud parva dubia moveri possunt, qvamvis ei â plerisqve tribuatur. — Agit hic liber de itineribus per deserta Ægypti suscepis, qvibus cum compluribus monachis ibi degentibus, sanctitate æqve ac miracula faciendi potestate inclytis, auctor familiaritatem iniit, qvorum portentorum immodicâ superstitione congestam molem lectoribus offerre non erubuit. Nec ideo tamen libellus Rufino abjudicandus esset, credulitatem enim et prodigiorum amorem cum ævo suo communem habuisse, abundè, qvam scripsit, historia confirmat ecclesiastica. Qvominus vero Rufinus libri istius auctor habeatur, maxime impedit, qvod Hierosolymis, nec in Ægypto tempore, qvo res narrantur, versabatur[180]). Præter ea,

178) Socrates priores duos historiæ suæ libros ex fide Rufini composuit, eum vero meliores nactus auctores reliqvit.

179) cfr. Cave Hist. liter. edit Lond. 1688. p. 339.

180) Librum Rufino auctori Vallarsio vindicanti tot ac tantæ difficultates chronologicæ occurrerunt (p. 191—200), ut,

qvæ jam commemorata sunt, Rufinus varia varii generis et ipse elaboravit[181]) et e græco in sermonem latinum transtulit[182]), qvibus, cum et alia deperdita sint et, qvæ

---

discrimine inter scripti et rerum scriptarum auctorem facto, Rufinum, non de sois per Ægyptum itiacribus, sed alius cnjusdam loqvntum esse statuerit. Hoc autem verbis ipsius auctoris omnino repugnat, cum ia initio libri se testem ocularem corum, qvæ narret, fuisse sæpius affirmet cfr. p. 117—120, et ne uno qvidem verbo diversitas utriusqve commemoretur. Hæc vero ia Rufinum qvadrare non posse inde apparet, qvod post annum 385 in Ægypto nunqvam fuit, sed auctor sub finem anni 394 ibi versatus est. vid. Vallars. vit. Ruf. p. 194. — Notatu qvoqve dignum est, qvod Gennad. cap. 17. p. 92 scripta Rufini enumerans, hunc de vitâ monachorum librum silentio præteriit.

181) Varias Rufinus ad timorem Dei hortantes epistolas scripsit, qvarum qvæ ad Aniciam Falconiam Probam missa est, jam vero deperdita, ceteris præstitisse fertur.

182) Præter ea, qvæ supra passim commemorata sunt, multa e græco in lingvam latinam vertit, qvorum præcipua hæc sunt: Basilii magni regula, ejusdem homiliæ octo. Gregorii Nazianzeni opuscula decem, ɔ: apologetici liber unus, De Epiphaniis, De Luminibus, De fide Lib. 1, De Nicæna fide (cfr. not. 176) Pentecoste et Spiritu S., De Semet ipso ex agro reverso, De dictis Jeremiæ (vide supra § 38 n. 157), De reconciliatione et unitate monachorum, De grandinis vastatione, De Arianis. — Clementis Romani Recognitiones. Anatolii Alexandrini Canon pascalis. Utrum vero Origenis homilias De Mariâ Magdaleaâ et De epiphaniâ Domini, latinè verterit, du

supersunt, ad fidem studiave Rufini uberius illustranda nil conferant, diutius immorari, operæ pretium non esse videtur.

---

bium est. versio Josephi operum non eum, sed Ambrosium auctorem habet, nec majore jure vita S. Evgeniæ illi adscripta fuit.

Errata.

Pag.	3.	lin.	9.	lege:	nisi
		—	22.	—	vicesimus
—	13.	—	6.	—	περὶ Ἀρχῶν
		—	14.	—	Qvod
		—	18.	—	maliqve
—	17.	—	23.	—	λεχθήσεσθαι
—	29.	—	22.	—	qvæ
—	30.	—	15.	—	christianorum
—	31.	—	20.	—	christianæ
—	41.	—	23.	—	invisibilem
—	61.	—	17.	—	putavit
—	98.	—	23.	—	tributo

